

10  
1781, 3.

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IN AUGURLIS JURIDICA  
DE  
**JUDICE RELIGIONIS**  
IN GERMANIA NON TOLERATAE.

R. 356.  
QUAM UNA CUM SUBJUNCTIS  
EX UNIVERSO JURE COROLLARIIS  
AUSPICE  
**DEO TER OPTIMO MAXIMO**  
ANNUENTE INCLYTO SENATU JURIDICO

PRAE<sup>S</sup>IDE  
PRAENOBILI, CLARISSIMO ET CONSULTISSIMO DOMINO  
**D. JACOBO JOSEPHO HAUS, J. U. D.**  
REVERENDISS. ET CELSISS. S. R. I. PRINCIPIS EPISCOPI BAMBERG. ET WIRCEB.  
FRANCIAE ORIENT. DUCIS CET. CET. CONSILARIO AULICO, JURIS NATURALIS  
ET PUBLICI GERMANICI PROFESSORE PUBLICO ET ORDINARIO,  
PRO CONSEQUENDIS SUMMIS IN UTROQUE JURE  
HONORIBUS

PUBLICE TUEBITUR  
TRIBUS PRO MORE RIGOROSIS EXAMINIBUS TENTATUS ET APPROBATUS  
**GEORGII ANTONII VOLLETH,**

RATISBONENSIS,  
JURIUM CANDIDATUS EMERITUS  
IN AUDITORIO JURISCONSULTORUM  
DIE MARTII ANNO MDCCCLXXXI  
Horis ante & post meridiem consuetis.

Typis Francisci Ernesti Nitribitt, Universitatis Typographi.



ALICIAE CLEMENS CITNTREB

ERIO BIEBO GOTO

ETIENNE DE L'ISLE

FRANCOIS DE L'ISLE

GEORGES DE L'ISLE

HOMO HOMO HOMO

JOHN DE L'ISLE

LEON DE L'ISLE

MARIE DE L'ISLE

MONSIEUR DE L'ISLE



*N*ullum facile tempus, hoc nostro, erat tractando huic, de quo dissertationem inscripsi, argumento opportunius, tum trahentibus in istam cogitationem frequentioribus hodie rerum exemplis ac scriptis, tum potissimum, quod jam omnium ferme animi, ab inimica aemulatione religionis alieni, ad illam tranquillitatem sunt compositi, ut aequum hac de re judicium & edici possit & exaudiri.

Ego quidem, dum eam aggredior, non exauriendam esse putavi, sed leviter tantum, attamen per omnia ejus capita deli-

A

ban-



bandam, temporis, quod ad scribendum istud opusculum sup-  
petebat, brevitate admonitus. Illam autem primam mihi le-  
gem dixi, ut animum afferrem, non quidem qui religionem  
exuerit, sed neutrius tamen partis favoribus obnoxium; alte-  
ram, ne quod proprii mansuetudo ingenii suggesteret, pro jure  
venditarem, sed instituta Imperii nostri perfecte sequerer leges-  
que, quas vero, ubi fieri potuit, quin ipsa earundem sententia  
circumveniretur, molliendas prius esse duxi, quam peregrino  
moribus nostris rigore onerandas.

Iis igitur, qui eadem mentis temperantia mecum utentur,  
si absque invidia tractasse visus fuero rem odio plenissimam,  
de hoc inprimis mihi gratulandum censebo.



DE



DE  
JUDICE RELIGIONIS  
IN GERMANIA NON TOLERATAE.

---

§. I.

*Status quaestionis.*

**D**e Judice religionis dum agere instituo, in limine hujus tractationis proferre necessum est, quo intuitu argumentum istud mihi sumserim delineandum. Potest enim in primis eo fine haec causa in medium proferri, ut ipsa Ecclesia principaliter sua interesse credat, de ea ut fiat disquisitio ac decisio. Qui respectus etsi frequentior sit, a meo tamen scopo est alienus, cum illuc unice respiciam siquando in civili republica de ea re quaestio incidat, quod illam definiri hujus praecise & principaliter intersit. Sunt autem multae & publicae & privatae rationes, quae illam suppeditant: nam cum a certae religionis professione aut jus civitatis adipiscendum vel retinendum pendere possit in genere, aut etiam



liberum istius religionis exercitium publicum vel privatum; cum porro certam doctrinam profitentibus reservata esse possint legibus reipublicae specialibus, aut etiam privatorum dispositionibus diversa jura vel prerogativa, facile est plures concipere casus, queis innixa est de religione praeliminaris ac quasi decretoria quaestio, veluti cum agitur de jure standi in comitiis vel Imperii vel provincialibus in genere, aut de accessu ad aliquod collegium aut dicasterium aut munus singulare, quod vel ad Imperium iterum spectat, vel ad territorium, & vel politicum est, vel etiam ecclesiasticum (a), aut de participatione jurium in acquirendis e. g. bonis immobilibus, hereditatibus, legatis &c. vel denique de solo jure civitatis, & quae sunt reliqua. (b) Porro vel ita de religione hujusmodi personarum agitur, ut illam proferre aut probare necessum sit extra judicium, tantum ut se commonstrent ad aliquod jus capessendum idoneos, vel mota desuper disceptatione in judicio; & vel ad contradictionem personae privatae, vel ob delationem publico nomine factam, vel inquisitionem institutam ex officio. In ista casuum diversitate posteriorem mihi sumo dilucidandum, cum scilicet publico nomine sit de religione disquisitio eo fine, ut appareat, num quis jura civilia in genere, & quae porro ab his pendent, retinere possit, debeatve, num secus. In qua tamen re sic versabor, ut facile sit eadem principia aliis etiam casibus applicare.

(a) Sic cum reservatum ecclesiasticum quoad A. C. addictos non minus, quam quoad catholicos stabilitum sit; cum ex dispositione Pacis speciali aut ex anni dieque normalis observantia, secundum L. L. Imperii publicas ad plura capitula aliasve fundationes pias & ecclesiasticas pervenire tantum possint A. C. addicti, vel hi mixtum cum catholicis; cum dominus territorialis ex jure reformandi, suoque, quo utitur in Ecclesiam jure, personas officiis ecclesiastice

cis inter protestantes praeficiat &c. nemo non videt, circa munera etiam ecclæsiastica hanc causam agi posse.

(b) Vid. etiam G O N N E Diff. de probatione religionis Erlang. 1751. §. 10. sgg.  
Mo ser Abhandlungen aus dem deutschen Kirchenrecht. Frankf. und Leipzig 1772. IV. Abb. §. 2. S. 129.

### §. II.

#### *Series dicendorum.*

Qaestio de doctrinae cuiusdam in rempublicam introductione aut de personarum eandem profitentium civili tolerantia cum moverur, tanquam de re porro in republica valitura, ad potestatem ea pertinet legislatoriam. Leges ejusmodi postquam & universorum actionibus & tribunalibus perscriptae sunt, si jam de singulis personis aut societatisbus quaestio incidat, num tolerari debeant, num minus, quod doctrinam amplectantur, qualem Leges reipublicae ratam habent, aut quae illis est adversa, illam definire est potestatis judiciaiae. Si demum agatur de rationibus, quibus iterum secundum leges, sed in universum, nullo singulorum intuitu habito, novorum cultuum in republica orrus aut progressus impediatur, has potestas inspectoria atque executoria sensu latiori sumta sibi sumit partes. Quapropter breviter in primis de jure imperantis dicam circa controversias fidei ac sectarum diversitatem atque introducendam aut stabilendam in republica novam religionem; adducam postea leges publicas circa sacra, quae coli unice in Imperio nostro fas est; ex quibus si aliqua consecratio deduxero, transibo ad judicia, quae secundum istas normas explicantur, ubi recensitis aliorum opinionibus proferam, cui & ex quo fundamento ista jurisdictio competat, quae cause illuc

A 3

spectent,



specient, quo ordine tractandae sint, & quo exitu, quae in illis Domini territorialis aut Caesaris sint partes. Denique paucis verbis de rationibus potestatis inspectoriae circa eandem rem concludam.

### §. III.

#### *De jure Imperantis statuendi circa cultuum in republi- cā diversitatem, & circa fidei controversias.*

**U**t igitur de jure legislatorio circa istud argumentum ordiamur, novitates in rebus ad religionem pertinentibus vel extrinse-  
cus advehuntur per homines doctrinae haec tenus in republica igno-  
ratae addictos de novo in jus civitatis recipiendos, aut per dog-  
mata aliunde in rem publicam nostram penetrantia, vel in ipso ci-  
vitatis nostrae sinu nascuntur controversiae de capitibus religione  
essentialibus, & post has sectarum diversitas. Utramque rem cu-  
ram Imperantis sibi deposcere in aprico est, cum tanti intersit rei-  
publicae, unam tantum ibi vigere religionem. (a) Priori autem  
periculo facilius obviam iri posse pariter clarum est: sed in altero  
casu, dum altas jam radices egit forte malum, nonnisi cum sum-  
ma universi, qua late pater, territorii commotione eradicandum;  
dum potentiores etiam & plures patronos invenit cives, caute ap-  
plicandam esse medicinam, ne cum impetu in illud factio crescat  
resistendi pertinacia, larvaque libertatis conscientiae opportune fa-  
ctionibus politicis superinducta, res publica repletatur tumultibus,  
unde exitus sit nullus, nisi per ejus ruinas. Inde igitur enascun-  
tur de antiquis sacris stabiliendis atque confirmandis consilia, aut  
de controversiis ex suprema auctoritate definiendis sopiendisque,  
aut nova etiam tolerantur, praeter antiquam doctrinam, dogmata,  
variis

variis tamen cautionibus circumpositis, aut plane, quod magis  
 est, recipiuntur etiam ac stabiliuntur in republica. Si jam de jure  
 Imperantis politici ejusque juris fundamento quaestionem moveas,  
 video nostrates tantum non omnes in advocatiae ecclesiasticae ter-  
 minis continere Imperantem, immemores sane, quod in isto casu  
 potius sibi patrocinium efflagitet res publica, quam ecclesia. (b)  
 Separandum quippe esse statum extraordinarium ab ordinario ne-  
 mo est, qui hic sentire non debeat. In hoc quidem merito Impe-  
 rans Ecclesiae semel in rempublicam admissae, suaque propria for-  
 mula ex instituto divino utenti res suas sociales sinit habere liberas,  
 ejusdem decreta custodit, suisque praesertim, si rempublicam pa-  
 riter juvent, legibus roborat, omnia ejusdem instituta cura tanto  
 majore prosequitur, quo laetius eorundem recta observantia rem-  
 publicam facit efflorescere. At dum res tranquille amplius in Ec-  
 clesia non aguntur, atque contentiones male cohibitae jam ad ip-  
 sam etiam respiciunt rempublicam, tunc utique solertiorem oportet  
 esse Imperantis industriam. Consiliorum ea de re, sic dictae  
 reformationis tempore seculo XVI. in Imperio nostro initiorum,  
 ut aevum antiquius novissimumque subinde non minus foecundum  
 praeterream, in actis & Legibus nostris plena sunt omnia, quae si-  
 quis nostrorum cum fide atque industria colligeret, atque cum  
 sana crisi examinaret, integrum facile jurium Caesareorum ac co-  
 mitialium circa sacra sistema positivum secundum LL. & obser-  
 vantiam noviorem nobis esset propositurus. Recitatavit equidem  
 comitialia hujus etiam temporis gesta complura strictum DAHMI-  
 us, (c) qui tamen aliquibus eorundem tantum penitus expensis (d)  
 maluit omnium ad observantiam publicam stabiliendam vim atque  
 efficaciam generalibus aut ambiguis verbis suspendere ac tantum

NON



non penitus frustrari. (e) Speciminis loco quaedam gesta ejus temporis annotare liceat: Sic conspicimus, post damnatam civili auctoritate, quae Pontificis solius decisionem est insecura, pendentie tamen provocatione ad Ecclesiam processit, doctrinam neotericam, de illa per Imperium non propaganda interdictum (f), praeceptum de doctrina, prout hactenus fuerat in Imperio recepta, deinceps praedicanda, ad ipsos etiam parochos & concionatores immediate directum, (g) suspensionem controversiarum tranquillitatem publicam interturbantium de articulis fidei quibusdam in dubium vocatis sub poenarum civilium comminatione (h); porro post Statuum apud Caesarem de promovendo Concilio universalis intercessionem saepius repetitam (i) Imperatorem, qui pro eodem convocando auctoritatem suam vehementius interposuit apud Pontificem, (k) atque in illius longiori cunctatione Concilium nationale cogendum duxit (l), aut ubi istud etiam difficilius obtineretur, collecta saltem scissae in utramque partem religionis eruditorum, maxime Theologorum, opera rem tractari jussit saepius in Comitiis, (m) ita tamen, ut, de quo ibi conveniretur, non equidem pro decisione Ecclesiae ab omnibus sit accipendum, nec fiat cum cuiusdam ex doctrinis catholicis dispendio, nec sit irrefragabile, sed ad leniendas tantum aut sopiendas interim controversias serviat, (n) judicio Ecclesiae submissum (o); sacrorum denique novorum juxta veterem doctrinam stabilitam in Imperio tolerantiam civilem, (p) immo injunctam etiam lege Imperii Statibus, non obstante jure reformati, necessitatem, ut exercitium corundem liberum in suis territoriis ex anno normali permittant; cum variis ejusdem consecrariis. quae hic praetermittimus.

(a) Voici le principe fondamental des lois politiques en fait de religion. Quand on

on est maître, de recevoire dans un état une nouvelle religion, où de ne la pas recevoire, il ne faut pas l'y établir: quand elle y est établie, il faut la tolérer.  
MONTESQUIEU de l'espriz de lois L. 25. chap. 10.

(b) Quod ansam praebuit sarcasmis protestantium, e. g. nos Ecclesiam fingere, cuius veluti Primas sit Pontifex summus, Archimareschallus autem aut enifer, aut Dux generalis natus sit Imperator. SCHILTER de libere Eccles. Germ. L. 1. §. 15. vel uti acerbius loquitur EV. OTTO Or. de jure Imperatoris & Statuum Imperii circa sacra pag. 13. Imperatori in Ecclesia saevitiae sacerdotalis apparituram & executionem eorum, quae manum requirunt, esse relictam.

(c) Diss. de jure comitiorum circa sacra. §. 17 - 27.

(d) §. 35 - 37.

(e) §. 28. 31.

(f) potissimum R. I. 1529. §. 5. seq. R. I. 1530. §. 37.

(g) R. I. 1524. §. 29. 1529. §. 8. 1530. §. 38. seqq. §4. 64.

(h) Ibidem §. 55. in f. & 57.

(i) E. g. R. I. 1526. §. 1. R. I. 1529. §. 1. 1530. §. 4.

(k) Ibid. §. 2. R. I. 1532. II. §. 2. &c.

(l) R. I. 1529. §. 2. 1530. §. 5. R. I. 1541. §. 22. R. I. 1544. §. 78.

(m) R. I. 1530. R. I. 1541. §. 9. 15. R. I. 1544. §. 80. ubi: dadurch die schwere Missbräuch gebessert, und die nachtheilige Trennung und Spaltung der Religion auch der Stände daraus erfolgt Misstrauen, Widerwill und Unfreundlichkeit geringert und temischer Nation vorfallender Nachtheil, Schaden und Abfall abgestellt und verhütet werde. Add. R. I. 1545. §. 9. 79. R. I. 1548. §. 6. Transl. Pass. §. 6. R. I. 1555. §. 7.

(n) R. I. 1530. §. 10. 1541. §. 9. 17. freundlich und christlich, jedoch unvershüldich unterreden und allen möglichen Fleiß anwenden sollten, alle irrige Puncten zu christlicher Einigkeit, Vergleichung und rechten Verstand zu bringen.

(o) Ib. §. 10. 15. seqq.

(p) Transl. Pass. §. 8. 10. R. I. 1555. §. 13. I. P. O. Art. 7. §. 1.

## §. IV.

*Praesertim ex systemate Protestantium.*

Plus est, quod Protestantes Imperantibus eo nomine tribuere debeant. Cum enim iis Ecclesia non sit societas divinitus instituta, suisque propriis instructa Imperantibus, sed quoad interna convictio assensusque huic vel illi doctrinae impertiendus finitur esse liber, reliqua omnia directioni potestatis civilis subsistent, ac jura ecclesiae socialia eodem modo, sicut aliorum in republica existentium corporum collegiorumque se habeant, ut tanta solum gaudeat avtonomia, quantam reipublicae rationes admittunt, taciteve vel expresse concederunt, tanto magis sese exserit Imperantis tum in omnibus ecclesiasticis negotiis, tum speciatim in controversiis de religione in casibus etiam ordinariis auctoritas; maxime cum doctrina eorundem de decidendis per Ecclesiam ejusmodi controversiis ita sit comparata, ut nunquam facile usum preebeat (a). Definitio enim controversiarum de dogmatibus in eum finem, ut jam credi eadem ab omnibus oporteat, prorsus est a systemate eorum aliena, nec aliud voluerunt, cum propositas sic dictae reformationis tempore dubitationes ad concilium generale vel nationale revocarent, sub formula: *ein freyes christliches Concilium*, quam ut alter alterum argumentis suis convinceret, omnesque sponte in eandem descenderent sententiam, absque legislatoria auctoritate. Unde rem solis committi Theologis nefas duxere, immo admittendos esse quoslibet, queis exstantior esset de rebus doctrinalibus notitia, & portissimum Principes aequali ferme cum Theologis sacrarum rerum scientia eo tempore imbutos. Finis vero istius discussionis non futurus fuisset veritas, sed resolutis

Iuris dubiis conspiratio, eo usque, donec nova aliquis iterum in medium proferat (b). Istud autem quantae sit molis, nemo non sentit. „Videndum igitur, ut cum BOEHMER O (c) loquamur, „an non in sensu laxiori ac a priori plane diverso decisio hic lo- „cum habere possit, quae denotet approbationem publicam do- „ctrinæ alicujus controversiae hoc fine factam, ut approbata tantum „publice doceatur in publico religionis exercitio, & ita tranquillitas publica „conseruetur; „ quam BOEHMERUS consentientibus omnibus suae religionis doctoribus (d) tribuit Imperanti absque necessario Theologorum concursu, quos quidem consulendo bene faceret, eorum tamen opinionibus haud obstrictus.

(a) Qua de re infra pluribus. Interim audiamus J. H. BOEHMERUM *Jure ecclæ. Proes. L. 1. T. 1. §. 29.* *Quaeritur quis Judicis partes sustinere debent?* Ecclesia judicem constituit. Sed ecclesia est totum aggregatum; ergo rursus quaevitur: quanam ecclesia banc decisionem formare debet, an singulæ, an plures conjunctim sumtae, an omnes; quid fieri, si diserebent? si plures conjunctim sumtae unius provinciae, quem exitum decisio habebit, si ipsa membra ministerii, si facultates theologicae inter se diserebant. *Quorum sententia prævalebit?* An omnes materialiter decidere possunt, ut singulorum sententiae judicantis accenseri debeant, an vero majora? sed hoc vix asséri potest, quia alioquin Ponitifici id ipsum nostratibus olim jure objecissent, quod sicut admittere noluerunt.

(b) BOEHMERUS loc. cit. §. 16. sqq. LEYSER Med. ad Pand. Tom. VIII. pag. 593. sqq.

(c) Ibid. §. 31.

(d) Vid. potissimum THOMASIUS in vindiciis juris majestici circa sacra, utpote qui hoc loco totus in eo est, ut clero jus definiti controversialia fidei plane neget, illudque jus, quod externam concernit observantiam, soli adseribat Principi; praesertim §. 44. ubi his verbis suam doctrinam complectitur: *In omni republica Majestas seu summa civitatis ubique potestas datur. Viz. hujus summae potestatis Magistratus politicus christianus determinare poterit per*



*leges omnes actiones civium jure naturae aut divino positivo universalis nondum determinatas. Ecclesia est in republica, non vero res publica in ecclesia. Ecclesiae nullum imperium a Christo & Apostolis in N. T. datum est. Non possunt esse duas summae potestates legislatoriae &c. in una republ. Ministri Ecclesiae & reliqui, qui in societate ecclesiastica vivunt, sunt subditi Magistratus politici. Ergo Magistratus politicus etiam horum actiones etiam ad religionem pertinentes determinare poterit, modo legibus illis nihil jubeat, quod juri divino universalis repugnat.* Add. IDEM in Tr. german. von dem Recht Evangelischer Fürsten in theologischen Streitigkeiten. Confer, quoque LYNNCKER dissert. de superioritate sacra §. 11. 14. ubi concludit: *In his omnibus Principes laudabiliter admodum Theologos in consilium advocare solent, ut materiam quasi dispositionis seu legis consistorialis disponant, auctoritate postmodum Principis ei quasi forma accidente.* ZECHIUS Medit. de jure reform. P. I. C. 3. §. 53. „Num juri Principis reformandi id relictum paras, ut ea abolerere possit? Ego sane nullus dubito: facit enim Imperans, quod sibi est officii, dum cavit, ne perpetuum pomum Eridos, ne inextinguibilis lictum atque odiorum materia statum suum perpetuis exponat turbis „ Moser von der Landsboheit in geistlichen II. B. 4. Cap. 5. §. p. 126. Wann Streitigkeiten unter denen Theologen entstehen, ist, nach denen Reichsgesetzen, ein Evangelischer Stand, wann seine Landes-Berfassung kein anders erfordert, besugt, seinen Theologen zu befehlen, wie sie sich betragen, und was sie lehren, oder wovon sie schweigen sollen oder nicht. Dieses sage ich als ein Rechtsgelehrter, und was dem deutschen Staatsrecht, nicht aber was der H. Schrift gemäß sey.

G. L. BOEHMERUS Princ. Jur. Can. §. 262. ubi: „In religionis exercitio „ per rem publicam determinando versatur jus reformandi. Hoc tanquam pars „ juris majestatici circa sacra per Imperium R. G. est final penes Imperatorem „ & Imperium. Statibus Imp. vero competit per unicuiusque territorium & „ nonnisi a superioritate territoriali subordinata legibus Imp. ratione dependet; „ non vero ab illo alio jure vel seculari vel ecclesiastico. „ Non est igitur „ ut ad istam Principis potestatem fundandam ad jus ob Ecclesia in eum devolutum provocetur cum HANKERO Diss. de Jure circa sacra, in specie de „ jure reformandi. Goett. 1780, §. 22, not. Et §. 24.

§. V.


 §. V.

*Leges Imperii de certarum fidei formularum praeter antiquam religionem tolerantia & aliarum prohibitione.*

Ex ista doctrina igitur Imperantis est, exoriente quadam in republica de dogmatibus religionis contentione, definire, quae velit unice doceri, dogmata, quem cultum exerceri, sine qua publica approbatione nequidem ipsa intra controvertentes transactio esset suffictura; cum econtra Catholici civili potestati nihil relinquant, nisi quod definitioni ipsius Ecclesiae accelerandae operam navare, convocatis in sua republica conventibus, & ad eum finem institutis, ut novatores disputationibus ad errores deponendos permoveantur, praeparare, sine ulla dogmatum aut definitio- ne aut approbatione, nisi quae ipsius Ecclesiae judicium insequeatur, doctrinam denique aliam aut permittere, aut si e re reipublicae non sit, possit interdicere. Ea igitur, quam sibi competere persuadebantur Status protestantes, potestate ducti, nova, quae sic dictae reformationis tempora suggerebant, dogmata suorum territoriorum Ecclesiis intulere; cumque eadem sic publica constituerent auctoritate, non tantum cultum eidem convenientem ordinarunt, sed & antiquis sacris exitum indixerunt, ad jus suum reformandi provocantes (a). Suo etiam nomine articulorum fidei, in quibus a catholicis recederent, recensionem, quam confessio- nem Augustanam vocant, ipsi in Comitiis ediderunt, non Eccle- siae. Imperator vero cum reliquo Imperio, postquam de compo- nendis de religione controversis consilia incassum cecidissent, satis sibi esse putavit, dum A. C. addictis Statibus initio solis, deinde etiam iis, qui inter eos reformati dicebantur, pacto publico cum

B 3

illis

illis inito, pacem concederet, non tantum, ut ipsi novae huic doctrinae libere possint vacare, sed eandem etiam suis in territoriis stabilire atque ordinare: At cum istarum religionum origo alia etiam ingenia ad pares ausus provocarit, enataque sint inter eos varia opinionum monstra; ne pluribus adhuc repleretur, atque indecorum in modum scinderetur Germania, neque novitatum istarum disseminandarum audacia rudia plebis ingenia misere circumagitaret, nescia, quo denique se convertant, visum fuit alias doctrinas prorsus proscribere, atque repetitis vicibus interdicere, ne locus ullus eisdem in Imperio permitteretur, Recessu nempe Augustano de 1555. §. 17. verbis: Doch sollen alle andere, so obgemeldten beyden Religionen nicht anhangig, in diesem Frieden nicht gemeynet, sondern ganzlich ausgeschlossen seyn. & Ratisbonensi de 1566. §. 5. ubi dispositum: Auf das aber in mittler Zeit den verfuhrischen, je länger je mehr, beyden, der alten Religion und Augsburgischen Confession, zuwider einbrechenden Secten und irrigen Opinionen kein Raum noch Statt gelassen, sondern dieselbe von dem h. Reich T. N. unserm geliebten Vaterland abgewendet werden: So haben Wir uns mit ihnen, den gemeinen Ständen, und sie sich hinwieder mit uns verglichen, daß solcher Secten und irriger Opinionen, so, wie gemeldt, sich von beyden, der alten Religion und Augsburgischen Confession, absondern und derselben zuwider seyn, vermöge des Religionsfriedens keine gelitten noch gedult, sondern allenthalben der Gebühr und dem N. T. gemäß abgeschafft werden. Instrumento denique Pacis Osnabrück-

brugensis Art. 7. §. 2. Praeter religiones supra nominatas nulla alia in sacro Imperio Romano recipiatur vel toleretur. Contra Anabaptistas in specie ob insignem istius sectae perversitatem constituta videri possunt in Rec. Imp. 1529. §. 6. 1535. §. 13. 1544. §. 24. 1541. §. 87.

(\*) Territoriorum Dominos, non ipsas ecclesias, istorum dogmatum comple-  
xum novumque cultum constituisse loquuntur LL. Imp. e. g. Pax Rel. §. 15.  
Keinen Stand des Reichs von dieser Augsb. Confessions Religion, Glauben, Kirchen-  
gebräuchen, Ordnungen und Ceremonien, so sie aufgerichtet oder nachmals aufrich-  
ten mögten in ihren Fürstenthümern, Landschaften und Herrschaften, dringen ic.  
Testatur etiam historia ecclesiastica, sectas, inter ipsos ortas protestantes,  
auctoritate Principis sublatas fuisse, conditis eorum iussu novis ac magis de-  
terminatis articulis, de quo unicum exemplum allegasse sufficiat, variorum  
scilicet motuum in ecclesiis protestanticis excitatorum causa, potissimum ob  
cryptocalvinismum institutum ab Electore Saxonico 1574. conventum Tor-  
gaviensem, conditamque ab eo & suis praescriptam ecclesiae concordiae, ut  
vocatur, formulam: quod exemplum alii etiam Principes sunt insecuri. Vid.  
Mossehims vollständige Kirchengeschichte. (Schlegl. Uebers. Heil-  
bronn.) III. B. II'. Abschn. II. Th. §. 37. folg. Quorum consilio ope-  
raque usi fuerint Status, dum isthaec instituerent, tam parum hic referre at-  
tinget, quam si alteri eidam societati e. g. Academiae lex scribatur, ubi non  
tam qui suggerit consilia, quam qui statuit, autor legis esse existimatur.

### §. VI.

*Unde Dominum territoriale alias adhuc sectas, praeter  
has, de quibus LL. Imp. disponunt, aut recipere aut  
tolerare nefas est.*

Vim istarum legum quidem eludere conantur haud pauci nec  
vulgaris notae auctores, qui dum modo inter gratiosam to-  
lerantium & tolerantiae seu exercitii religionis concedendi necessi-  
tatem, modo inter personarum atque religionis tolerantiam, mo-  
do

do inter diversum istarum legum ad Imperium aut ad territoria respectum distinguunt, his non obstantibus Domino territoriali salvum esse afferunt, pro suo reformati jure ex libera voluntate aliis adhuc sectis exercitium religionis concedere, (a) aut saltem negato quidem exercitio religionis in suo tamen territorio relinquere imperturbatos, (b) ad praxin quoque & exempla haud infrequentia provocantes (c). Verum si omnia acta publica, quae allegatas §. antec. Leges antecesserunt, consulas, Imperio non tam curae fuisse conspicitur, quid circa tolerantiam exercitium religionis subditis largiendum Statibus Imp. pro necessitate injungendum sit: (Patrocinium enim a Statibus protestantibus ratione subditorum suae religionis sub Dominis catholicis susceptum in causa fuit, quare de necessaria aliquando exercitii religionis concessionem secundum annum normalem I. P. O. art. §. 31. seq. aut tolerantia quadam temporaria ejusdem art. §pho 35. per accidens quae-dam disponerentur) sed istud potissimum Imperium tenebat sollicitum, ut sacrorum multitudine Germania purgareretur, neque esset cuiusvis sectae recepraculum. Quamvis nunc pro sacris tantum protestanticis petita atque obtenta tolerantia fuerit, quamvis ipsi de cetero Status protestantes paratos se arque obstrictos profiterentur, ne locus ullus in suis territoriis aliis adhuc doctrinis pateat (d); curatus tamen istam juris reformati de cetero agniti restrictionem expressis legibus & saepius fanciri e re visum fuit. Quies porro non tantum ne cultus publicus aliis adhuc sectariis indulgetur, sed etiam ne ullo modo tolerentur, praceptum fuit, ut ita incassum hic inter personarum tolerantiam ipsiusque cultus publice exercendi libertatem discrimin applicetur. Sane personas aliis addictas de fide opinionibus extra pacem collocat Recessus Imp. August. 1555. loco supra

supra recensito, non cultum solummodo publicum proscriptit. Et Pax Westphalica non recipiendam tantum, sed nec tolerandam aliam esse religionem statuit, ubi certe, cum articulo ejusdem pacis quinto sacrorum receptio ac tolerantia tanta cum sollicitudine distincta fuerint, non est credibile, articulo septimo eidem tolerantiae vocabulo aliud sensum fuisse indicatum. Immo frustra laboratum fuisset in interdicendo aliis sectis publico cultu, si easdem saltem in finu suo retinere ac fovere placuisset. Personarum de reliquo tolerantia eatenus concedi potest, si, num sacra colant aliena, neendum constat, aut si insciis in errores inciderint, aut in iis haereant dubii, meliorem non recusantes informationem; verum quod ultra est, merito ad ipsarum etiam doctrinarum sive religionum patrocinium refertur.

(a) GONNE de probat. relig. §. 20. not. I. ubi nullam sibi constare rationem asserit, quare potestas Statuum tolerandi sectas prohibitas ad singulas personas restringi non etiam ad universas ecclesiastas porrigi debeat. Add. BIEDER-MANN Diss. de jure reformandi territoriali ad tres religiones in Imp. R. G. receperas hanc restrictio. Hal. 1771.

(b) J. H. BOEHMER Jur. eccles. L. I. T. I. § 58. ZECH Med. de jur. refor. P. II. C. 4. §. 71. not. 131. HENNIGES Medit. ad Pac. Westph. spec. 6. art. 7. §. 2. not. h. p. 879. plurimique alii.

(c) Cum ad usum territoriorum germanicorum provocatur, in quibus aliae etiam sectae tolerantur, istud vel intelligitur de Judaeis vel de aliis sectariis christiani nominis. Quod Judaeos attinet, sunt, qui istorum tolerantiam sub nostrarum LL. prohibitione non comprehendunt exinde non immerito deducant, quod haec instrumento pacis ceterisque legibus multo antiquior, siue dispositio generalis prohibitiva tanto minus poruerit specialibus de eorum tolerantia juribus derogare, cum haec Imperio optime perspecta, immo ipsis legibus suo modo stabilita, nec tamen postea expresse sublata, quin ne quidem de ea quaestio meta fuerit. Sed accedit altera magis urgens ratio,

C

haec



haec scilicet, communiter Judeos in Imperio censeri debere non toleratos sed revera bannitos. PUFENDORF *Obs. Jur. univ.* Tom. II. *Obs. 1. §. 19.* ita ut solus Imperator antiquitus in usu habuerit bannum istud solvere, pacemque iis restituere: sed cum successu temporis per A. B. cap. 9. aliasque Imperii leges scilicet *Reform. polit.* de 1530. 1548. 1577. §. 20. idem confessum fuerit Statibus, & per privilegia specialia nobilitati Imp.; illi profecto Judaei, qui neutrius gaudent patrocinio, utique sunt adhuc pro non toleratis reputandi; id quod ipsae leges allegatae non obscure insinuant. Quodsi ergo sectis christianis pariter non toleratis applies, tam diu etiam pro talibus erunt censendae, donec Statibus de tolerantia ipsius imperienda ab Imperatore & Imperio facta fuerit copia. Istarum igitur ratione praxim solam incertam valde jurium esse magistrum cuivis liquet: nec ad observantiam inde erudiant sufficit aliquid hinc inde admitti legibus contrarium, nisi pariter de Imperii consensu & approbatione constet: nunc autem res nostras ita sunt compositae, ut non facile quidquam deferri ea de re ad comitia soleat ad dissensum commonstrandum, nisi gravis causa & communiter metuenda oportunam praebeat occasionem; & cum deferratur, legnius conseretur consilia. In judiciis Imp. econtra istam praxim male haberi, sunt saltem aliqua, quae nos edoceant, exempla. Singulare tamen est, dignumque quod hic annotetur, in Camera Imperiali motam non ita pridem quaestionem, num appellatio ab homine interposita, qui *Mennonis* doctrinam sequitur, pro deserta sit reputanda, eoquod juramentum, a quo ista secta abhorret, cuique aliam asseverationem, hec dem Wort der Wahrheit, substituit, neglexerit, quod tamen subinde ut formale appellationis ex certorum territoriorum privilegio requiriatur. Camerales in diversas tracti sententias rem in medio reliquerunt. Visitationis tamen novissima illi accessit sententiae, quae hanc contestationem hec Mannen Wahrheit pro juramento reputandam atque admittendam censuit, hocque placitum Imperio commendandum decrevit. Vid. *conclusum Visitationis de 13. Octob. 1768* apud collectorem anonymum der *Visitationsschlüsse die Verbesserung des Justizwesens betreffend.* Lemgo 1779. I. Abth. p. 86. cum commentario editoris II. Abth. p. 468. sqq. ipsumque dubium camerale p. 245.

(d) Vid. e. g. *declaratio Statuum protestantium ad propositionem Caesaream*  
x566:

1566: Dieweil ein jeder Stand in solchen Sachen für sich selbst allein, und seine Unterthanen Rechenschaft zu geben schuldig — erkennen uns schuldig, seyn auch willig, nicht allein für unsere Personen und keiner sectirischen Opinion theilstig zu machen, sondern auch solches in unsre Kirchen oder bey unsern Untertanen, Universitäten und Schulen nicht zu gestatten. Apud LEMMANNUM in actis de pace religiosa L. II. C. 4. p. 101. & iterum: Das sie — nicht gestatten wollten, daß einige Seet, seßt wie sie wolle, in ihren Kirchen mit ihrem Willen Statt, Platz oder Raum hätte. Ibid. L. III. C. 5. pag. 327. add. C. 7. p. 330.

### §. VII.

*Cum leges allegatae utique ad territoria respiciant.*

**E**x quo demum etiam facile conficitur, male leges supra recitatas ad solum trahi Imperium, quatenus unius reipublicae formam sustinet, nec intelligi pariter de territoriis singulis, quatenus illa separatis iterum formulis legibusque utuntur. Quod in primis statuisse videtur GONNIUS (a) refutatus a MOSERO (b), cui deinde oblocutus est SCHOTTIUS (c), respondentem iterum suamque sententiam tuente MOSERO (d). GONNIUS quidem vim legum istarum regulariter in territoriis etiam Statuum valere, sed contrariis legibus territorii aut observantia illis ita derogari posse existimat, ut effectus earundem in universo tantum perducent Imperio, in territoriis autem ex peculiaribus hisce institutis essent. Verum ista sententia speciem justi vix habet, cum interscriptores juris publici hodie facile conveniat, legislatoriam Statuum potestatem contra leges Imperii locum equidem invenire, ubi in capitibus juris privati, ut communi cuidam succurratur defectui, velut in subsidium quid statuit; in iis autem, quae jus publicum concernunt, & sunt juris prohibitiivi, & quorum

C 2

ratio



ratio ita est perdurans, ut illa servari hodie adhuc universi non leviter intersit Imperii, certissime exulare. Aliis igitur consultius videtur, prorsus negare, quod intentio legum istarum etiam ad territoria porrigitur, quas scilicet jura tantum illa, quorum catholici, A. C. addicti & ita dicti reformati in Imperio sunt participes, aliorum factorum a seculis non tribui, jura autem in territoriis adipiscenda in medio relinqui, & a Domini cuiuslibet territorialis voluntate ac beneplacito pendere voluisse afferunt; ita ut, qui in aliquo aut forte in omnibus territoriis, non obstante religione, jure civitatis in Imperio non donata, quorumvis jurium munerumque capax esset, ad officium tamen ad universum respiciens Imperium, e. g. Alesforis Camerae Imp. non posset admoveri. Istud etiam discrimen ajunt alibi in legibus Imperii & Pace potissimum Westphal. non raro esse obvium, cum e. g. non obstante, quod omnes tres religiones aequaliter sint in Imperio toleratae, aequalibusque fruantur juribus, invitae tamen non sint eadem leges, quo minus, si in territorio quodam anni normalis possessio aliquam earundem destituat, ob singularem istam rationem ibidem aut prorsus non tolerari, aut diversis, respectu aliarum religionum, juribus censeri possit. — Verum in ista sententia hoc statim absconum neminem fugere potest, quod sic, dum inter effectus publicos in universo Imperio atque in territoriis singulis distinguitur, negari nequeat, Statui cuidam Imperii denegari religionis in Imperio reprobatae professionem, cuius tamen profidentiae, immo exercendae, libertatem ipse, non repugnantibus iisdem legibus, vilissimo suo posset largiri subdiro. Nam quo minus ipsi Status alia sacra legibus Imperii non probata suscipere possit, tum ipsorummet declaratio supra relata, tum exempla, tum leges.

leges, quae neminem excipiunt, tum denique ipsa hujus sententiae ad Imperium, ad quod illi immediate spectant, restrictio ventant. Deinde si cuilibet territorii Domino concessum foret, unicuius adhuc sectae liberum in territorio suo portum concedere, suaque iisdem replere terras, atque ad quaelibet admittere jura, misera futura fuisse legum nostrarum cura, ut eae tantum a muneribus in universo Imperio obeundis, quorum per pauca sunt, e.g. Consiliarii Imp. aul. aut Assessoris Camerae, aut quae sunt apud aerarium aut exercitum Imperii, arcerentur. Utique si a muneribus tantum in Imperio obeundis sectarios vacare jussisset nostra lex, ista sententia suo non destitueretur fundamento: sed cum prorsus non tolerari debere constituerit, qua late patent fines Imperii, non solummodo munorum capessendorum occasio, istis personis abstinendum est. Atque sicut protestantium ad tribunalia Imperii, aliaque officia admissio religionis non amplius reprobatae sequela fuit tantum non necessaria; sic pariter, postquam alias sectas nullibi tolerandas esse sanctum fuerat, per justam consequentiam iis etiam archidicasteriis Imperii fuit interdictum (e): ut itaque, qui in posteriori haerent, effectum admittant, non ipsam causam. Demum postquam sectae ejusmodi non negantur legibus Imperii prohibite, cumque jus reformandi Statuum esse debeat eisdem subordinatum, & hujus exercendi potestas ratione illorum sacrorum, quae jam in Imperio sunt tolerata, initio magnis motibus in contentionem vocata fuerit, nunc autem horum tantum sacrorum respectu concessa, in reliquis adhuc earundem legum prohibitioni subsit; non video, undenam istud novam adhuc, praeter illas tres, religionem tolerandi jus Statuum proficiendi queat. Statibus itaque aliarum adhuc religionum tolerandarum co-

= = =

piam expresse factam non fuisse jam sufficere posset ad istam sententiam refellendam, sed expresse adeo illam negatam esse, tum alia jam adducta, tum ipsa etiam hujus prohibitionis Paci Westph. adjectae cum dispositione immediate antecedente connexio ostendit. Nam sicut de catholicis Statibus confidi poterat, quod illi alteri adhuc sectae inter subditos praesidium certe nunquam sint impertiruri, ita ex parte Statuum protestantium ea res metu non vacabat. Postquam igitur articulo Pacis septimo dispositum erat, quidnam Statui A. C. ad sic dictorum reformatorum sacra transunti vel hujus religionis Statui in ejusmodi territorio succedenti aut vicissim liceat subditis parem religionem professis concedere, statim ex catholicorum monito (*f*) subjunctum est, alias tamen religiones recipi vel tolerari non licere. Unde tanto minor potest superesse dubitatio, quin Statuum territoria huic prohibitioni apprime subsint (*g*). Quae igitur, si cum intentione legum, quae in eliminandis prorsus ejusmodi sectis versabantur, cum iporum Statuum promissione, qui se illis locum nullum in territoriis suis relikturos esse sunt contestati (*§. praec. not. d.*) & denique cum ipsis legum verbis conferas, quae ubilibet, allenthalben, abrogandas esse statuunt (*§. V.*), vix est, ut in ista sententia adhuc praesidium aliquod collocare possis (*b*).

(*a*) I. e. cuius verba sunt: *Distinguendi sunt tolerantiae civilis effectus civiles insuus universi Imperii & singulorum territoriorum — Ne illis fruatur non approbatae religionis sectator, licet in particulari territorio toleretur, impedire omnino videtur adducta, ex I. P. O. art. 7. prohibitio. Quin vero intra fines territorii plenos effectus operetur tolerantia ab illius Domino indulta, dubitandum non est. Quam sententiam deinde BIEDERMANNUS loc. cit. plenius excoluit.*

(*b*) Abb. aus dem teutschen Kirchenrecht, Abb. III. §. 19.

(*c*)

(c) Unparth, Critick. 5. B. p. 434.

(d) Von der teutschen Religionen-Verfassung. 1. B. 3. Cap. §. 6. p. 28. seq. ubi apposite ait, quodsi hanc legis haberemus dispositionem: *Praeter monetas supra nominatas nulla alia in Imperio toleretur; neminem esse dubitaturum, quin aliae monetas non tantum aerario Imperii non inferendae, sed etiam liber iisdem cursus in territoriis non sit permittendus.* Contra M. SERUM tamen iterum quedam monuit BIEDERMANNUS apud SCHOTTIUM l. cit. 6. Band p. 630. seq.

(e) Conc. ord. Cam. Part. 1. Tit. 3. §. 4.

(f) Quae clausula in declaratione Catholicorum ulteriori ad projectum Instrumenti pacis caesareum primo obvia 12. Dec. 1647. (apud MEIERUM in actis Pac. Westph. Tom. IV. p. 831.) sine controversia demum etiam universis Statibus super differentiis circa projectum pacis inter Legatos Caesareos & Suecios adhuc residuis comitialiter consultantibus probata fuit 2. Jul. 1648. apud EUNDEM Tom. VI. p. 86.

(g) De cetero, quod religiones Imperii legibus firmatae diverso respectu non raro in territoriis censeantur, id ex jure reformati per ipsas has Imperii leges concessio derivatum est, quod igitur iuxta has leges exercetur, si religioni equidem in legibus Imp. agnita, sed anni normalis possessione substituae negatur tolerantia in quodam territorio, contra illas, si sectae ibidem tolerantur legibus hisce prohibite.

(h) Alia adhuc argumenta nostrae sententiae opposita resoluta legantur apud BARTHEL Diff. de Jure reform. novo art. 7. §. 2. 3. 4. BANNIZA Diff. de vera religionis libertate peric. IV. & SCHMITT in animadversi. ad eand. (Thes. Jur. Eccl. T. 3. p. 508.)

### §. VIII.

*Num per easdem leges ipsis protestantibus in Imperio  
liceat nova sibi constituere dogmata?*

Sunt igitur doctrinae in Imperio nostro arque omnibus ejusdem partibus prohibitae, quales quae sint, dum quaeritur, utique ad



ad religionum, quae jure civitatis in Imperio nostro potiantur; symbola seu articulorum fidei succinctas designationes recurrendum est. Catholici utuntur Apostolico, Nicaeno, Athanasiano, & novissime Professione fidei Tridentina. Protestantibus etiam, cum a catholicorum ecclesia se segregarent, necessum fuit, doctrinarum, a quibus discederent, catalogum confidere, quod factum fuit in celebri illa Augustana Confessione anno 1530. cum aliquibus accessionibus (a), quae omnia, quoad a doctrina catholicorum non discrepant, eatenus communibus adhuc symbolis cum iisdem utuntur ante A. C. confessis. Eodem modo se res habet cum sic dictis Reformatis, qui commune quidem cum A. C. addictis symbolum colunt, eodem etiam modo uti hi catholicorum adhaerent symbolis; peculiari tamen iterum formula sunt praediti (b). Unde haec sponte occurrit quaestio: num A. C. addictis sive reformatis ita dictis omnibus integrum sit aut cunctis, quos constituerunt, fidei articulis rejectis, aut aliquibus tantum retentis, nova constituere. Quod etsi indubie affirmandum sit, si per istas novas dogmatum adoptiones proprius ad doctrinam catholicam accederetur, utpote quod ab omni tempore tam vehementer fuit in votis, ut, cum spes etiam minima superesse videretur, nunquam tamen depositum fuerit desiderium; quoad alias tamen variationes inter ipsos protestantes non est extra controversiam. Quamvis enim, si ipsorum principia sequimur, id quod humana arte atque industria ex sacris litteris deducendum fuit dogma, non sit ita irrefragabile, ut illi omnium temporum assensus impertiendus sit, adeoque theologice loquendo symbolum ejusmodi insignes semper in punctis etiam substantialibus admittat correctiones; in sensu ipsis tamen non sine ratione omnis cessare videtur mutatio, nisi quae

quae in acuriori definitione eorum , quae non sat clare definita,  
 aut, quae definitionem nondum acceperunt ullam , decisione, aut  
 quod minus est, in diligentiori exegesi, novisque adinventis pro-  
 bationibus , aut proponendi recentiori methodo versetur (c). Et  
 revera admissis licet religionibus, quae innovationibus de se qui-  
 dem viam non praeccludunt; cum tamen semel suis fuerint cir-  
 cumscripiae formulis , sub eoque nomine in Imperium receptae,  
 non futurae essent eaedem , quibus pax concessa, religiones , si  
 aliter innovarentur, sed essent religiones aliae, quibus dicta §§phis  
 antec. applicari posse videntur. — Sunt nihilominus haud vulga-  
 ria , quae hisce ratiociniis opponuntur: nam aliis videtur non ea-  
 propter indulta protestantibus utriusque nominis tolerantia, quod  
 hanc praecise , qualem tunc prae se tulerunt, religionem profite-  
 rentur, neganda, si paullo aliter de ipsis doctrinis sensissent; sed  
 spectata tantum fuisse haec personarum congeries, cum quibus res  
 in tali fuerunt statu, ut pax illis diurius non potuerit denegari, nisi  
 cuncta susque deque verti maluerimus: his ergo, non tam reli-  
 gioni pacem indultam asserunt. Hanc autem ipsam hominum so-  
 cietatem a sacris catholicis alienam adhuc perdurare , atque mane-  
 re eandem, licet dogmata aliter inflechterentur. Cui rei non leve  
 pondus accedere existimatur, quod expressis etiam legibus novio-  
 ribus & a Carolo VII. inde sub unoquoque Imperatore repetitis  
 novorum librorum symbolicorum assumptio salva ipsis relinquere-  
 tur (d). — Quae licet cum magna specie afferantur, nos tamen non  
 prorsus in eandem trahunt sententiam; neque nos asserere ausi-  
 mus , transactum cum protestantibus nullo religionis intuitu habi-  
 to, sed tantum ob pacis restaurandae necessitatem: nam sicut con-  
 stanter jactitarunt Status protestantes doctrinae suae puritatem ac

D

prae-



praestantiam, eamque eo animo in Comitiis proposuerunt, ut constaret omnibus, nil ei inesse, quod reprehenderetur (*f*); ita certo sumus persuasi, e. g. Anabaptistarum tumultuosos errores nunquam eadem, qua sacra protestantium, forte beandos fuisse, etiamsi aequae ac hi prospero Marte decertavissent, neque pacem rebus Imperii etiam summe labefactatis concedi potuisse hominibus, quorum doctrina referret tantum rcpuplicae quantum religioni inimicum. Multo minus urget ratio ex Capitulatione Caesarea perita, cum iste locus novorum dogmatum hodiernam *confitutio-*  
*nem* prorsus non, sed certorum *librorum* jam *nascentis doctrinae protestantiae* tempore editorum pro symbolicis agnitionem con-  
cernat (*g*). Inde igitur mediae inhaerendum sententiae arbitramur, scilicet neque ex intentione legum istas religiones recipientium, nec quae has insecurae sunt, simpliciter jam probari li-  
beramque esse quamcunque doctrinae protestantiae immutatio-  
nem; ast suscipi illam nihilominus consensu omnium protestan-  
tium etiam in substantialibus articulis posse; ita tamen, ut de ho-  
rum novorum articulorum ad rempublicam habitu judicium sit  
tam Dominorum territorialium catholicorum ratione subditorum  
suorum protestantium, quam Imperii, sive pax aut expresse aut  
tacite in illos etiam prorogetur. Quae sententia tanto est certior,  
quanto luculentius Instrumento P. O. art. 5. §. 52. hae ipsae causae  
indicantur, dum in *causis religionis* non per majora, sed per amica-  
bilem compositionem inter diversae religionis Status concluden-  
dum esse asseritur; sic scilicet, ut, quid a protestantibus, dum  
placet immutare dogmata, credendum sit, per pluritatem voto-  
rum non definitur, sed quando nova sibi dogmata constituenda  
censet pars Statuum protestantium, ab altera catholicorum, ut ob-  
illarum ad rempublicam habitum ea sustineat, nonnisi per amica-  
bilem

bilem compositionem obtineatur (b). Quae vero omnia priusquam contigerint, mutatio substantialis doctrinae pro non probata interim reputanda est.

(a) Ita tamen ut de numero earundem ac generalitate non semper constet. Referuntur hic communiter praeter utrumque catechismum Lutheri, Aug. Confessio, articuli Schmalcaldici & formule concordiae, quae postremus Lutheranos distinguit a Zwinglii & Calvini asseclis, sicut Aug. confessio a catholicis.

(b) Quales nominantur confessio Belgica, catechismus Heidelbergensis & canones Synodi Dordracenae de 1618. seq.

(c) Videatur inter scriptores juris publici vir annorum & experientiae gravitatem Nestori par MOSERUS l. c. Abb. VI. Wie weit sich die Freyheit der Evangelischen im Deutschland in Lehrsachen nach den Reichsgrundgesetzen erstreckte, §. 3. 4. ex quo aliqua hoc transcribere lubet: Die wahre Religion ist zu allen Zeiten einer mehrern Auflklärung, deutlicher Auswidlung, neuer Bestimmung, genauern Anwendung auf allerley vorgekommene Fälle, weitläufiger Auslegung des wahrscheinlichen Sinnes ihres göttlichen Urhebers, neuer Auflösung der dagegen erregten Zweifel und gemachten Einwürfe, Erläuterung aus den Geschichten, Critick in Absicht auf die Handschriften und Uebersetzung der göttlichen Schriften, mutmaßlicher Erklärung der Vorbilder und Prophezeiungen u. s. w. fähig gewesen. So seind nach und nach die Bücher des alten und neuen Testaments entstanden; und die grossenbarte Religion hat durch jedes derselben einen neuen Zuwachs erhalten. Eben so ist es auch mit einzelnen Lehren und Lehrsätzen gegangen — Sind nicht diese alle im alten und neuen Testament inneweinweis in ein immer helleres Licht gesetzt worden? Hinwiederum hat es auch allerley Spaltungen gegeben — Um denen daraus entstehenden Streitigkeiten vorzubiegen und eine Gleichförmigkeit der Lehre in der äussern Kirche zu erzielen, wurden Concilien gehalten, auf selbigen Symbola und Canones errichtet, und dadurch manche Lehrsätze festgestellt, die auf eine solche Weise und solchen Ausdrücken nicht in der H. Schrift zu befinden sind. Es verbleiben aber dennoch in den übrigen nicht als ausgemachten Lehren die Kirchenväter — oft gar sehr verschieden doch so, daß sie in vielen und allen wichtigen Religionswahrheiten übereinstimmen. Nach der im XVI. Jahrhundert sich ereigneten Religionshaultungen gings es wieder so. — Diesem allen nach haben die Evangelische auch noch iezo das Recht in allen Gründen der Theologie ic. neue Lehrsätze aufzustellen, eine neue Art des Vor-



trags anzunehmen, neue Beweisgründe für oder wider eine Meinung vorzulegen, u. s. w. — — Aber weil die Catholische nur mit A. C. Verwandten Frieden geschlossen haben, und keine andere Secten im Deutschen Reich auch nur geduldet werden sollen; so dürfen die Evangelische nichts neues lehren, was 1) der Augsburg. Confession oder 2) denen zur Zeit der Abschluss derselbigen, wie auch des Religions- und Westphäl. Friedens zwischen den Evangelischen und Catholischen gemeinschaftlichen Wahrheiten der christlichen Religion, darin die heil. Schriftsteller neuen Testaments und die Kirchenväter zusammenstimmen, zuwider ist. Praeter einige gewisser massen noch an; contra aber gar nicht. Add. Idem von der Deutschen Religionsverfassung. I. B. 4. Cap. §. 7. p. 41. seq.

- (d) Scilicet capitulatione Caesarea art. 2. §. ult. eius verba sunt: Alii wenigstens sich ammase denen heilsamen Reichssatzungen zuwider über neue editiones der A. C. Verwandten librorum symbolicorum, so sie vor oder nach dem Religions- Frieden dafür angenommen, oder noch annehmen möchten, den fiscal zu hben oder Processe ergeben zu lassen.
- (e) Vid. eruditissimi SCHOTTII unparthey. Critick I. B. p. 514. 5. B. p. 437. seq. 445. seq. HANKERUS de jure circa sacra §. 62.
- (f) M o s s e i m s Kirchengeschichte III. B. pag. 114.
- (g) Quod acta exente regimine Caroli VI. declarant. Cum scilicet inter protestantes haud conveniat, quaenam praeter Aug. Conf. inter varia scripta existantiora, articulos doctrinae comprehendentia, & illis primis reformatio- nis temporibus edita ad libros symbolicos referenda sint, & ob noviter im- pressos articulos Schmalcaldicos, de quibus tale dubium obtinet, editori Dri Münden Francfurti anno 1737. lis a fiscali Imperii apud consilium Imperiale aulicum mota fuerit; id tantum intendit monitum a Brandenburgico in de- liberationibus super capitulatione Caroli VII. allatum, ne per interdictum de non imprimendis ejusmodi libris protestantes impediantur in eorundem usu, aut pro symbolicis universali declaratione. Vide historiam istorum mo- tum & protocollum electorale ap. OLENSCHLAGERUM Geschichte des Interregni nach Absterben R. Carls VI. Th. 4. pag. 408. seq.
- (h) Quo sensu GONNIUS de probat. religion. §. 41. p. 72. statuit circa arti- culos A. C. non definitos expectandam esse ab universo Imperio vel certe cor- pore

pore Evangelico doctrinae vere approbatæ ulteriore definitionem add. §. 16.  
p. 26. Sed ius adeo definiendi publicam doctrinam, adeoque ad ipsorum  
eriam articulorum confectionem concurrendi Imperatori cum universo Im-  
perio attribuunt STRUVIUS in Corp. Jur. publ. cap. XI. § 18. p. 413. &  
KEMMERICHUS in Introd. in jus publ. L. IV. c. 4. §. 5. seq. Quin fa-  
migeratam illam fidei interimisticae formulam an. 1548. protestantibus pra-  
scriptam usque ad Concilii universalis definitionem, maxime laudandam esse  
putat HORNIVS in Jur. publ. prudent. cap. 42. §. 26. p. 295. si modo  
omnes Status in ea operam suam collocaſſent.

### §. IX.

#### *Eadem quaestio de catholicis.*

In ista re non parem esse catholicorum ac protestantium causam.  
Ex hoc fundamento adſtruit ICKSTADTIUS (a), quod catholici  
nunquam Imperanti civili de fidei suae articulis judicandi poreſta-  
rem conſeſſerint, decisionem a ſoliſ Eccleſiae oraculo petentes;  
ſecus autem cum protestantibus contigerit. Nos econtra quam-  
vis cum viro celeberrimo in re ipſa conſentiamus, eandem tamen,  
quam de protestantibus nunc proponuiſimus, quaſtionem moveri  
proſrus catholicis non poſſe judicamus. Cum enim de Eccleſia uni-  
verſa hic sermo fit, illaque primam ſuam gloriā in eo collocet, quod  
ſit conſtant ejusdemque ſemper doctrinae fidelissima cuſtos; hinc  
nec antiqua dogmata retraſtare poeſt, nec nova adjicere, quaē non  
prioribus perfecte cohaereant, illaque tantum magis declarent,  
cum nempe poſcentibus temporibus & controverſiis ea, quaē ſat  
clare deciſa non ſunt, aut haētenus proſrus non definita, ſubinde  
determinantur. MOSE RUS (b) equidem ICKSTADTIO acceden-  
dum eſte exiſtitat, ſi res inter ſolos agatur catholicos, ſecus vero  
ſi inter hos & protestantes, qua compaſſiſcentes atque pacis gua-



randas causa tractetur: tunc etenim ridiculum esse asserit, quod protestantibus nihil omnino in ipsis quaestionebus debeat esse negotii; neque catholicis ait antiquorem prodesse possessionem, cum jam non queratur, quis status religionis fuerit pristinus, sed quis ab anno 1555. & 1648. inde in Germania observari debeat. — Verum si etiam concedere fas esset, istam quaestionem unquam catholicis opponi posse, parum nostro judicio probata exinde foret Statuum protestantium in illa confienda participatio. Nam sane pacto quidem cum catholicis initio debetur sacerorum protestantium receptio, quod guaranda firmaverunt, adeoque altera pars compaciscentium excludi non potest, ubi de illo aut ampliando aut saltem interpretando agitur. Eodem autem pacto non opus fuit religioni catholicae, quam etiam, in Imperio saltem, nunquam ipsam infestaverunt A. C. addiciti; adeoque post pacem religioni protestanticae datam eadem manent, quae fuerunt antea, catholicorum hac de re jura, ut, quae Imperanti civili ex eorum doctrina tribuuntur, ad solum recidant Caesarem Statusque catholicos (c).

(a) *Diss. de causis religionis a jure Majorum exceptis* §. 24. Tom. II. opusc. III.

(b) *Von der deutsch. Religions-Verfassung* I. B. 4. Cap. 7. §. p. 50.

(c) *Quod saltem contingere potest in innovationibus disciplinaribus.* Ubi forte etiam Dominus territorialis protestanicus ratione subditorum suorum catholicorum non est impediendus, quominus de earum rerum habitu ad suam rempublicam statuat: nam licet in Imperio sacra catholicorum non fuerint a protestantibus labefactata, aliud tamen contigit in territoriis ex assumto sibi iure reformati in Pace Rel. & Westphalica agnitis.

§. X.

---

### §. X.

*De Judice religionis in Imperio non toleratae.*

*Sententia J. J. MOSERI.*

**Q**uae haec tenus attulimus, & leges concernunt, in nostro proposito spectandas, & negotia universorum, quae in Comitiis componi necesse est. Nunc autem de causis singulorum circa idem objectum tractabimus, quas ad istas leges examinari oportet, id quod est jurisdictionis. Et quidem initio aliorum hac de re judicia proferemus, atque non pro aemulatione sed cum modestia expendemus, a MOSERO incoantes. Is, disciplinae juris publici recentioris parens, distinguendos duos esse casus arbitratur, ubi de singulis personis agitur, quae reprobatas in Imperio sectas profiteantur, alterum, ubi de eo jam certo constat, constare autem existimat, quando vel ipsi neutri in Imperio toleratae religioni se addicunt, vel ab harum religionum asseclis non agnoscantur; alterum, ubi aliquod membrum Ecclesiae reprobatis ab Imperio doctrinis adhaerere incusatur, atque de ea re dubitatio est (*a*). In primo quidem casu Dominum territorialem, cuius demum cunque sit religionis, & cognoscere & pro suo placito statuere posse afferit (*b*); posteriori autem euidem etiam non excludendum esse territorii Dominum, omniaque ejus auspiciis & auctoritate suscipi oportere non diffiretur; judicium tamen, an quis sit ejus, ad quam adhuc appellat, religionis, a Domino territoriali diversae religionis non proficiisci posse, & totam cognitionem non instituendam nisi per ejusdem, cui tale membrum se adhaerere afferit, religionis personas ecclesiasticas & seculares non suspectas; ideoque non proprio utendum dicasterio, si hujus non sit religionis, sed tunc

rem



rem exteris committendam, nec denique denegandam esse peritam auctorum ad facultates theologicas & juridicas impartialies ejusdem religionis ad respondendum de jure transmissionem statuit.

— Nos optaremus, ut ad primum casum apertius mentem suam declarasset, de eo, qui sit se gerere pro neutrius in Imperio toleratae religionis consorte, numque talis adhuc existimandus sit pro cuiusdam harum religionum affecta, qui quidem suae ecclesiae rotundis verbis nuntium nondum remisit, sed quamvis eosdem cum reliquis adhuc ritus externos colat, munusve, si quod haber, & locum in ecclesia non dimiserit, doctrinam tamen commonstravit ex interpretatione haud ambigua cuilibet in Imperio permissae religioni adversam. In altero autem casu id grave & aequitate & moderatione Moseriana inferius videtur, quod, siquidem illum recte intelligimus, Dicasterio territoriali, nisi ejusdem sit cum persona judicanda religionis, ne causae quidem instructionem permittat, remque universam insolito exemplo a principio usque ad finem potius ad extraneos deferendam existimet; quod porro istis extraneis non tantum sententiae conceptionem, aut de eo quod videtur responsum, sed ipsam etiam cause decisionem necessario relinquendam statuat, cum nominis & auctoritatis & inspectionis Domini territorialis, quae tamen agnoscit, inani interventu. Denique sine dubio voluit, ut de sola qualitate religionis, personae aut doctrinae, de qua queritur, non etiam de aliis, quae posito uno vel altero sequuntur, consecrariis pronuntiare debeant extranei, quod scilicet discrimen fieri ejusdem principiis eo est convenientius, quod ipse casu priori, ubi nempe aliquem doctrinam a religionibus receptis diversam amplecti clarum est, de tali causa integra statuere soli territoriali Domino cuiusvis religionis non denegaverit (d).

(e)

- (a) Primum Casum his verbis ponit: Wer Richter sey, wenn es Personen beträffe die sich a) zu keiner von denen im Reich erlaubten Religionen bekennen, oder b) doch von ihnen nicht für Glaubensgenossen erkannt werden? alterum, wenn einige Mitglieder der resp. Evangelisch- oder Catholischen Kirche irriger Lehren beschuldiget würden? Von der deutsch. Religionsverfassung I. B. 5. Cap. S. 7. Eodem modo distinguit easus, quando non de singulis personis sed de ipsa doctrina est sermo, quos eodem modo etiam decidit.
- (b) Ibid. & Abhandl. aus dem Kirchenrecht IV. §. 8. n. 3. p. 145.
- (c) Loc. alleg. §. 4. p. 104. ubi: a) Alles muß unter des Landsherrn Namen, Autorität und Oberaufsicht geschehen; b) aber die Untersuchung selbst muß schlechterdings durch unverdächtige geist- und weltliche Personen, von der Religion geschehen, der die Unterthanen zugethan seynd; c) eben diese und keine andere müssen auch in der Sache sprechen; d) auf Begehren der Unterthanen endlich müssen die Aeten an unparteiische theologische und juristische Fakultäten ihrer Religion zum Spruch Rechtern verschickt werden. Et postea: Hat ein Landsherr eigne Collegia oder doch geist- und weltliche Bedienten von der Unterthanen Religion, kann und darf er sich derselben allerdings dazu bedienen; Hat er aber keine dergleichen, so muß er auswärtige, gegen welche die Unterthanen nichts einzuwenden haben, ansprechen, dieses Geschäft zu übernehmen. Add. Abh. aus dem Kirchenrecht I. c. num. 1.
- (d) Quod postquam rem non a propriis, si non sint ejus religionis collegii tractari atque definiri debere dixisset, insuper adhuc transmissionem ad facultatem theologicam ac juridicam non denegandam statuar, verisimiliter sic intellectus, quodsi examen rei ex officio non relinquatur exteris illius religionis, saltem ad decidendum transmitti debeat rogatu ejus, quem causa concernit; uti etiam facultatem theologicam non ut de jure sed de qualitate religionis respondeat, adduxisse videtur.

## §. XI.

### G. L. BOEHMERI Sententia.

Istud etiam, aut propinquum illi argumentum ex instituto tractavit brevi lucubratione ante annum edita vir cum summo hono-

E

re



re nominandus G. L. BOEHMERUS (a), qui postquam personarum tolerantiam ab illa religionis distinxit, „de personarum tolerantia se disputare ait, qui etiam religione approbatae se ad dictos profiteantur, in publicum tamen doctrinas produnt, non „ejus modo, quam prae se ferunt, verum etiam communibus religionum approbatarum principiis adversas, sive, ut determinatus postea quaestionem exprimit: „quando de eo agitur, utrum „qui ecclesiae, ejusque muneribus adstrictus est, doctrinas pro-„fiteatur vel ambiguas, vel suspectas, vel a formula ecclesiae plane „abhorrentes; si de eo porro quaeritur, quae vel hominis emen-„dandi vel commodis Ecclesiae prospiciendi ratio sit, utrumne juri-„bus Ecclesiae frui, vel officio defungi amplius queat, an hujus admis-„sionis ratione sacrissae Ecclesiae ei sit interdicendum. „ Horum igitur omnium cognitionem ac judicium esse penes solam Ecclesiam statuit, cuius est membrum. Quod in primis ostendit ex historia ecclesiastica, cum scilicet olim ista causa non fuerit ad secularia Imperatorum Principumque tribunalia revocata, sed ad Ecclesiam ejusque, qui eam repraesentant Antistites, Concilia scilicet, quae de ipsis non modo doctrinis, sed & de eo judicaverint, utrum quis doctrinæ ab ejus rationibus alienæ causa ab Ecclesia arcendus, an venia erroris danda. Ab Ecclesia exclusis permittere porro aut negare societatis *civilis* jura ad Imperatoris postea jura spe-*ctasse*. Idem corroborat ex natura Ecclesiae tanquam alicujus societatis, cum nulla causa arctius cum illius constitutione, fine, ac politia cohaereat, quam quae jura concerneret & obligationes Ecclesiam inter & ejus membra, maxime de his, quae ad ejus vel doctrinam publicam, vel disciplinam pertinent. Ultimo provocat ad paria utriusque Ecclesiae in Germania jura; hocque jus, de quo  
dixi.

diximus, ad Principes Statusque Imperii protestantes vi sublimis per territorii sui Ecclesiæ jurisdictionis ecclesiasticae pertinere statuit. Nil etiam referre ait, num doctrina, quam membrum Ecclesiæ profitetur, cum sit suae Ecclesiæ adversa, aliarum Ecclesiarum symbolis conveniat; immo de hoc quaeri non posse, cum qua membrum hujus Ecclesiæ aliis non stringatur. Inde igitur concludit, Imperii judicia non sine summa Statuum Imp. injuria ad se revocare posse hanc cognitionem. Non tamen dicit, se loqui de librorum censura, quae tamen Statibus in territorio non minus, quam Imperatori in Imperio competeret; (b) sed de judicio, ubi rei sunt adhuc ecclesiæ ac reipublicæ membra, ubi causa est ecclesiastica solius Principis protestantici jurisdictioni obnoxia, ubi forum est personæ mediatae. Istam porro jurisdictionem judiciorum Imp. neque inferre advocatiam Caesaris ecclesiasticam, neque I. P. O. articuli VII. §phum 2, qui scilicet tantum de juribus religionis exercitii per Imperium ejusmodi personis denegando loqueretur, non de personarum per territorium tolerantia.

Quam hic BOEHMERUS sibi proposuit quaestione, proprie extra discussionis nostræ scopum esse jam supra (§. I.) monimus: tractat enim ille causam, dum agitur de Ecclesiæ commodis, de emendando homine, qui reprobatae est doctrinae, aut eo e sinu Ecclesiæ rejiciendo. Has esse Ecclesiæ partes, aut si protestantes res concernat, Imperantis ex jure territorii Ecclesiæ suffici, luentes largimur. Dum econtra reipublicæ rationes legesque sibi depositas de impediendis ac restringendis novis sectis curam, agiturque de ea, de qua BOEHMERUS initio suae orationis quædam attulit, personarum in republica juxta ac Ecclesia tolerantia, vel loco concedendo cultui ex novis sacris instituendo, aut utro-



que negando; tunc enimvero vix ipse clarissimus auctor ibit inficias; quo minus haec sparta, uti & judicia, Imperanti civili, quatenus scilicet ipsi praeest *reipublicae*, vindicentur, qui juribus politicis ejusmodi hominem exuendo, ad quae inter protestantes jus cultus publici ac munerum ecclesiasticorum indubie referendum est, impedit, ne respublica damnum incurrat. Ab ista sententia eum alienum esse, ut credamus, non sinunt verba, queis orationem concludit (c), arque ubi Principi, *reipublicae* respectu habito, talia jura sat clare attribuit. Quod vero ista potestas non tantum Statibus Imp. in territorio, sed & aliquando Imperatori immediate jus competat, non in libros solum sed & in illorum autores &c. animadvertisendi, infra commonstraribus. In qua re, si scilicet aliquando Caesaris officium requirit, ut immediate auctoritatem interponat, quod leges & commoda Imperii illud possulent; profecto clarum est, non solum quaeri, num doctrina, de qua agitur, sit symbolis particularibus unius religionis aut unius prorsus territorii conformis, sed potius num alicui ex doctrinis unice in universo Imperio permisssis respondeat.

(a) *Orat. de jure cognoscendi & statuendi de his, qui communis religionum in Germania approbatarum doctrinas publice impugnant.* Goett. 1779.

(b) Ex hac etiam Caesarea librorum censura magis sunt perspicua, quae supra §. VII. a nobis sunt tradita. Nam cum Imperator libros ad religionem in Imperio non toleratam pertinentes possit & finibus Imperii proscribere, non medioeri contradictioni te involvis, si Legum certos cultus prohibentium rationem ad territoria singula non spectare defendas; cum sic liber a Caesare proscriptus nullibi in Imperii finibus tolerari deberet, attamen ex venia Statuum ubique in unoquoque territorio, hoc est iterum in universo Imperio, recte retineretur.

(c) Quae talia sunt: „De his jus dicere, horum decernere censuram, hos arc-

99. CERE



„cere ab Ecclesiae officiis, iisque permettere vel negare reipublicae & Ecclesiae jura, solum est Principis, qui personam gerit & reipublicae & ecclesiae; „eiusque providentiae relictum est, utrum moderari jurisdictionem, mor- „bumque leniter tractare, & nocivam tantum doctrinas a religionis formula „alienas proponendi & propagandi licentiam coercere & circumscribere; an „vero, ne ingravescat morbus, periculosam & anicipitem curationem adhi- „bere, ex re Ecclesiae & reipublicae videatur.“

### §. XII.

#### C. H. GEISLERI *Sententia*.

**H**is adhuc auctoris pluribus jam scriptis clari, GEISLERI nema-  
pe, sententiam adjungimus (*a*). Imperantis ille non parum  
interesse docet, cuius quis in republica sit religionis, cum a reli-  
gione jura civilia alicui competentia pendere soleant. Inde natum  
esse *jus reformati*, potissimum exercendum contra sectarios, qui  
nova sacra in rem publicam inferre ibique stabilire moluntur, *jus*  
nostris temporibus equidem non sterile, caute tamen exercendum.  
Curas Caesareas in isto etiam negotio prorsus non exsulare asserit,  
auctoriisque scripti von der Gerichtsbarkeit der höchsten Reichsgerichte;  
(bey Gelegenheit des Bahrdtischen Rechtssfalls) qui parum idoneis ar-  
gumentis eas excludendas censuerit, contradicit. Multo igitur  
magis rem ad Dominum territorii etiam spectare tradit. Prae-  
requirit tamen judicium Ecclesiae, quia quatenus de doctrinae cuius-  
dam in publicum prolatae cum doctrina Ecclesiae convenientia  
ageretur, causa esset ecclesiastica, de qua doctrina neque judicare,  
neque ab Ecclesia excludere possit civilis Imperans. Postquam au-  
tem quis ab Ecclesia sua exclusus, nec ab alia tolerata receptor es-  
set, tunc apud Principem per Ecclesiam in *jus* vocari posse (*b*),  
judiciumque tunc esse non ecclesiasticum, sed politicum, cui ta-



men judicium ecclesiasticum praecesserit, ansamque praebuerit:  
Nihilominus aliquando concedit, non attento isto ordine, ex officio etiam procedi posse & a Domino territoriali & a Caesare, quando scilicet aliquem communia omnium doctrinarum in Imperio permisarum principia subvertere novamque religionem moliri innotesceret, quod etiam ab Imperatore aliquoties suscepimus esse narrat. — In ista doctrina non male cohaerente tamen in hisce haesitavimus, cur tunc tantum Imperans, etiam inter protestantes, de religione civium ex officio, nondum admonitus ab Ecclesia, debeat esse sollicitus, cum eo usque jam processit audacia, ut ad novam plane sectam in republica constituendam veteraque sacra subvertenda consilia aperte spectare videantur; quamvis istum rerum statum vehementius urgere Imperantem nos quoque lubenter agnoscamus; cur porro in reliquis patienter exspectare judicium Ecclesiae & exclusionem ab ejus fini, non ipse illam excitare, immo, inter protestantes, ipse exclusionem decernere debeat; cur denique in hisce casibus ordinariis, ut aliquid ex territoriali aut caesarea potestate suscipi contra sectarum possit, universae Ecclesiae judicium solennisque ejactio prius in partes vocetur.

(a) *Progr. de judicio super religione aliorum ferendo.* Marb. 1779.

(b) Cūm praeclari auctoris scriptum in manib[us] non sit, illudque nonnisi ex rectionibus atque illa potissimum, quae in EDITORIS der neuesten Religionsbegebenheiten 1780. p. 549. sqq. commentariis exstat, quibus tamen ipse se fermō integrum inseruisse asserit, constet; num mens auctoris ubique satis accurata relata sit, dubitare atque inde in nostra notamina veniam derivare licet. Potissimum scrupulus movebatur, num ista genuina sit auctoris sententia, ubi ipsam Ecclesiam, postquam aliquem e suo gremio ex causa doctrinae depulit, actionem contra eundem eoram Imperante civili instituere posse dicatur; nam cum Ecclesia taliem hominem & sua societate proscriptum, quid amplus

plus est, quod in illum juris habere possit aut gravaminis coram tribunali-  
bus prosequendi?

### §. XIII.

*Judicium de religione, si agatur de applicatione Le-  
gum adductarum, Magistratui politico vindicandum est.*

Ut igitur post relatas celeberrimorum virorum opiniones adeo in-  
ter se ipsas discrepantes nostram etiam sententiam subjungamus,  
primum est, quod monendum ducimus, quodque de se jam unicuique  
occurrit, nemirum istius judicii duas esse partes, unam, cuius quis sit  
religionis; alteram, posito, quod talis sit, qualem reipublicae leges  
non sustinent, quidnam in illum secundum has leges sit decernen-  
dum. Istam postremam ad jurisdictionem civilem referendam esse, ex  
eo ipso patet, quod sint leges civiles, quae hic in applicationem  
deducantur, quod finis sit mere politicus, totumque negotiorum  
descendat ex jure reformandi, quatenus utriusque religionis prin-  
cipia illud Imperanti civili attribuunt, jure scilicet novarum do-  
ctrinarum ortum ac progressum in republica impediendi (§§. III.  
IV.) (a). Haec autem pars priorem, cuius quis scilicet sit reli-  
gionis, praesupponit, sine qua expediri non potest: nam in hac  
consistit illa facti indagatio, ad quod deinde jus applicandum est:  
Intercedit igitur arctissima inter utramque causam necessitudo, ut  
utraque pro continente judicanda sit, quapropter nisi unius natu-  
ra obster, ad eundem etiam judicem pertinere debet (b). Sed si  
protestantium principia spectemus, natura causae certe non resi-  
stit, quo minus a Judice etiam seculari tractetur, cum laicum eti-  
am omnino admittat, nec ex divina institutione Judici alicui ita  
concredata esse defendatur, ut praeter eum reliqui omnes inhabi-  
litate



litate laborent. Immo controversias adeo fidei inter illos decreto-  
rie decidere fas est Imperanti politico , eatenus scilicet , ut hoc  
tantum , non aliud , publice doceri debeat (§§. IV. V.) ; ergo ,  
quod multo minus est , examen etiam doctrinæ ab aliquo subdi-  
torum prolatae in eodem ordine negari nequit . Quin nihil est  
ex reformationis historia testatus , quam quod Augustana Confes-  
sio , ceterique symbolici libri publice dehinc tenendi a solis Statis-  
bus Ecclesiis suis illati atque propositi , dubiaque dehinc interce-  
dentialia sublata fuerint , quod demum universum etiam Imperium  
agnito secundum praxin passim usitatam reformandi jure & doctri-  
na ipsa politice non amplius reprobata ratum habuit : igitur an  
quis publice profiteatur de rebus religionis sententiam huic de-  
creto conformem merito ipsorum etiam Imperantium judicio est  
relinquendum . Et quamvis omnia Ecclesiae membra ipsa pree-  
untibus parochis novae doctrinæ suggestoribus a Domino territo-  
riali aut institutis aut certe toleratis sua dogmata tanquam basin fu-  
turam suae unionis constituisse concederetur ; quod sola de doctrinæ  
cujusdam cum ipsis dogmatibus conformitate legitimum testi-  
monium ferre debeant , aequa parum inde sequitur , quam quod  
idoneum ferre possint , cum maximam partem sint turba inerudi-  
ta , quae doctrinam , qualis traditur , recipiunt , non examinant .  
Si autem aliquorum penitus informatorum testimonium sufficit ,  
quare non solus etiam Dominus territorialis , cui potissimum in  
isto negotio debetur , a quo solo Doctorum pendet constitutio , &  
cujus jam unice interest , aestimabit ? (c) Cum igitur judicium  
de religione Imperanti civili qua tali eo nomine vindicetur , nihil  
interesse potest , num iste Imperans catholicus sit , sive protestanti-  
eus , dummodo judicium istud bona fide exerceatur , nec ad ever-  
tendam

tendam & labefactandam ipsam doctrinam publicam, quae semel legibus reipublicae stabilita est, detorqueatur. Unde cum potissimum in Comitiis 1566. causa sic dictorum reformatorum, num scilicet ii cum A. C. addictis consentiant, & eapropter tolerandi vel non tolerandi sint, tractaretur, Status protestantes judicium majoribus catholicorum committere non ideo hæsitarunt, quod horum religio obstaret, quo minus de ea re judicare valeant, neque etiam ad suffragia ab Ecclesia colligenda provocarunt, sed potius ipsi Status protestantes de ista doctrina in aliquibus articulis a sua disformi sententiam dixerunt, & ita judicio Caesaris ac catholicorum, qui idem judicaverant, accessere; ejus autem doctrinae consortes extra pacem mitti eapropter tantum sunt deprecati, ne imbecillis ingenii, & qui forte articuli cuiusdam sensum nondum satis essent assediti, aut saltem non respuerent meliora, quique per hanc promititudinem conjunctionis spem proximam facerent, intemperie vis fiat (d). Porro etiam cum in tractatibus Pacis Westphalicae ista quaestio, cui cognitio, an quis Augustanae sit confessio-nis, competit, in medium proferretur, longe absuit, ut ex hac ratione initio catholicis negaretur cognitio, quod judicium Imperantibus non pateretur, & Ecclesiae velut societati aequali vindicanda esset; sed potius quia suspicionem animo conceperant, ne catholicis isto judicio ad opprimendos A. C. addictos abuterentur, & quia aequitati, quae inter utriusque religionis consortes intercedere deberet, adversari credebatur (e). Cessere tamen nihilo minus catholicis protestantes, & cum Caesareani ultimatae suæ puncto gravaminum declarationi 5. Mart. 1647. articulo 18. hunc etiam passum infererent: „Cognitio vero, quis sit August. Confessio-nis, si quaestio de immmediato aliquo Imperii Statu in pacem reli-

F

„gionis



„gionis recipiendo, aut ejus privilegiis donando, vel etiam pri-  
 „vando agatur, utique ad Imperatorem & Status utrinque compaci-  
 „centes pertinebit, cum utrorumque ex aequo interficit. Sin vero  
 „de iis quaeratur, qui in immediatorum Imperii Statuum terris  
 „degunt, & aliam, quam revera colant, religionem jaclant, res utique  
 „ad Magistratus ordinarii cognitionem pertinebit, ad evitandas lites &  
 „jurgia, quae inde inter alterius religionis Status sese talibus cogniti-  
 „onibus in alieno territorio immiscere volentes suboriri possent: „  
 (f) isti declarationi, licet aliis articulis quamplurima monita oppone-  
 rent, nihil amplius obmoverunt, siveque acqueiverunt (g). Gravissi-  
 mum denique & huic sententiae omnino conforme est HENNIGE-  
 SII testimonium (h), qui potestatem cognoscendi, an quis ejus  
 sit, quam jaclat, Aug. Confessionis, tam arte cum jure eorum,  
 qui A. C. consortes in consortium jurium Imperii aut territorii  
 admiserunt, atque eos, qui eidem aut alii in Imperio aut territo-  
 rio non receptae religione non adstipulantur, coercendi atque eli-  
 minandi facultate gaudent aut respective obligationem habent, con-  
 junctam existimat, ut si, num quis veritis adhaereat sacris, a so-  
 lis resciri oporteret protestantibus, non immerito metus concipe-  
 retur, ne eorum favore aut indulgentia, sub larva A. C. diversissimi  
 cultus in Imperium & territoria irreperent, & sic re in circu-  
 lum circumducta, Caesar & catholici jure suo expellendi haereti-  
 eos prorsus essent frustrandi. Quapropter sicut in Comitiis istam  
 quaestionem communi & catholicorum & protestantium placito  
 & conspiratione conficiendam judicat, ita pariter, quod ad judicia  
 spectat, in praestantissimo suo *Meditationum ad Instrumentum Pacis*  
*Westphal.* opere (i) omnino agnoscit Cameram Imperialem de  
 quaestione facti, si dubium fuerit, cui quis coetui trium in Im-  
 perio

perio toleratarum religionum sit annumerandus, judicare posse.

(k)

(a) Ut ita ad extorquendam e. g. tribunalibus Imp. hanc juris dicundi partem male ad jurisdictionis ecclesiasticae defectum provocetur; neque necesse sit istam quaestionem famigeratae illi de jurisdictione ecclesiastica catholicis in subditos protestantes competente controversiae implicare, in quo tamen totus est anonymous Auctor scripti: Von der Gerichtsbarkeit der höchsten Reichsgerichte in geistlichen Sachen: bey Gelegenheit des neuesten Bahrdtischen Rechtsfalls. 1779. 4. §. 1 - 12. Verum ita ut post illum apparatum Oedipum advocares, ut intelligeres, unde causa ecclesiastica cognoscenda sit; nam licet qualitatem causae ecclesiasticae pro diversis Ecclesiarum principiis ac satis admodum variam esse; licet mediante reformatione plures causas antea a judice ecclesiastico pertractatas nunc ad forum politicum deductas esse; licet denique post liberatos a jurisdictione Episcoporum protestantes, istam jurisdictionem per ipsas Imp. leges Dominis territorialibus commissam fuisse non neget §. 14.; nihilominus ad cognoscendam causae ecclesiasticae qualitatem a protestantibus non minus ac Catholicis ad jus canonicum revertendum esse moner, mox iterum ad naturam ipsius causae provocat, quae consideranda sit sine personarum, a quibus tractatur, intuitu, mox jus canonicum utique, cum causas ecclesiasticas a politicis distingueret, personarum respectum habuisse concedit §. 15., ut semper incertus maneat, quenaam sint illa principia, ex quibus pro Ecclesiarum protestanticarum habitu, ac fato ab Ecclesiis catholicorum, quorum causae ecclesiasticae Episcopis relictae, nec in Dominos territoriales transcriptae sunt, admodum diverso apud illos causarum ejusmodi qualitas intelligatur. Denique quamvis iterum in fine §. 15. non diffirentur causas Ecclesiarum, si in *politicas aut judicarias* definerent, ad regimen politicum spectare; quomodo tamen ista commutatio fiat, maluit §. 15. binis exemplis altero a privata injuriarum actione a membro Ecclesiae instituta, altero a protectione externa Ecclesiae impertienda deducto, quam justo ratiocinio explicare. Eodem modo sibi contradicit §. 19, cum potestatem de conformitate doctrinae judicandi per I. P. O. art. 5. §. 30. Dominis territor, expresse confirmatam esse afferit, & statim iterum judici-



um de doctrina fideque semper adhuc ad Ecclesiam non sed potestatis secularis, neque territorialia neque ecclesiastica jura pertinere defendit. Contra dixit huic opusculo nonnemo sub titulo *Anmerkungen über die Schrift von der Gerichtsbarkeit* re. 1779. 8.

(b) Eodem modo se res habet, si quis recendentis a principiis Ecclesiae doctrinae causa ab Ecclesia excludendus, aut poena ecclesiastica afficiendus esset: tunc enim disquisitio de qualitate doctrinae, iterum pro continente judicanda est, & ad eum, qui jurisdictione hac ecclesiastica praeditus est, quique, si causa protestantes concernat, iterum est Dominus territorialis, & postea Imperator, spectat.

(c) Adjungi etiam ratio potest a librorum illorum symbolicorum subscriptione, Doctoribus saltem, a potestate civili injuncta, repetita. Cum enim, ut ait LEYSERUS Tom. VIII. p. 575. „illa boni publici causa fiat & leges & in-„stituta civitatis requirant, ut omnes, qui in ea vivant, uniformiter de-„rebus divinis (externe) sentiant, nec per diversas opiniones de religione, „quae in rem publ. maxime influit, concordiam & quietem turbent; „uti- que apparet de conformitate doctrinae judicare posse, qui professionem sub-scriptionemque exegit.

(d) LEHMANNI acta de Pace Ref. L. 3. c. 5. §. Thre Majestät re. cap. 7. §. Nun lassen re. pag. 327. 330. Conf. PFANNERI Historia Pacis Westph. (1681) cap. 5. §. 38. p. 636.

(e) Mutuas circa istud punctum declarationes vide apud MAIERN in actis Pacis Westphal. e. g. Tom. III. p. 166. 284. 339. 354. 362. 372. 432, Tom. IV. pag. 98. 108.

(f) Loc. cit. Tom. IV. pag. 127. Tanto minus credita fuit haec discussio a Judicio Statuum Imp. aliena, & ad ipsas Ecclesias velut collegia aequalia pertinens, ut, si Statui catholico neganda fuisset, ipsi catholici hic agnoverint, Statuum vicinorum A. C. iudicio relinquendam esse.

(g) Vid. MAIERN. I. c. Tom. IV pag. 149. Ipsi Paci equidem non inserta fuit haec formula, id quod tamen eo minus praesudicat, cum concessa aeo Statibus catholicis jurisdictione ecclesiastica in subditos A. C. & illa politica nunquam

quam in dubium vocata, si hujus generis causas excipere placuerit, contra  
ris suisset dispositione opus.

(b) *De summa Imperatoris Rom. potestate circa sacra. Norimb. 1676, cap. IV.*  
annot. ad §. 4. pag. 156. seq.

(i) *Ad artic. V. §. 53. spec. V. pag. 668. not. e.*

(k) *Conferantur, quae de hoc argumento praeclare exposuit ICKSTADTIUS*  
*Tom. II. opusc. III. cap. 2. §. 25. seq.*

## §. XIV.

*Consulto tamen responsum Theologicum adhibetur.*

*Quid inter Catholicos obtineat?*

Judex autem politicus atque etiam catholicus, quamvis de ista  
quaestione recte pronuntiet, an quis Augustanae sit Confessio-  
nis, communiter tamen tanta in eo rerum divinarum notitia non  
deprehenditur, cum tanto studio doctrinae fidei, praesertim alienae,  
vix incubuerit, quantum Legibus impedit. Est tamen in  
isto judicio cavendum, ne ex falsa persuasione insolentem oppri-  
mamus; est etiam declinanda invidia. Res igitur ubi sic consi-  
stunt, in aliis etiam causarum generibus solenne est peritorum in  
arte consilium explorare. Quapropter idem etiam in hac quoque  
causa obtainere, & propter praejudicium, quod reo imminet, &  
propter suspicionem, quae removenda est, tanto minus dubito,  
cum, si neglectum fuerit, aut cum factum, justa de rite facto su-  
per sit dubitatio, reum etiam ad instruendam suam defensionem eo  
provocare vix quisquam iterus sit inficias. Atenim ad  
quem se hic Judicis convertit fiducia? Tanta equidem inter pro-  
testantes non est Theologorum reverentia, ut in rebus etiam do-



etinalibus illorum prius ac aliorum placito assurgendum judicent; attamen in hacce re tutissimam ingredi viam juvat; cumque de perfectissima rerum sacrarum scientia theologicae professioni & facultati praesertim theologicae tanta assistat prae sumptio, ut nemo fortiorem habeat, hujus pulsandaes fores (a). Porro si causa ramel hominem concernat, qui haec tenus ad protestantes spectare vi sus est, num jam solos interrogabit Judex catholicos Theologos, quibus tamen tanta communiter non est cultus alieni peritia, ut de aemulatione sileam, qua ejus ordinis homines saepe in transversum agi incusantur? Ego sane, ut omni se suspicione exoneret judex, a solis catholicis perendam esse informationem, non suaserim, nisi in istud crinomenon quaestio incidat, an quis non tantum August. Confessionis consortibus, sed an ulli in Imperio permissee religioni sit accensendus, quod semper continget, si causa agitur aut in judicio Imperii, aut in territorio, cuius Princeps est catholicus. Tunc autem juxta A. C. addictos consulendi erunt catholici (b). Dum econtra res concernit eum, qui catholicum se jactat, tunc enimvero non securitas tantum suadet, ut consulantur, sed natura causae postulat, ut definiant ii, queis derebus sacris judicium, ex eorundem principiis, a Christo commissum est. Inter hos etenim ita se junctum est forum ecclesiasticum a civili, ut causam fidei ne continentia quidem ad judicia civilia trahere possit propter incapacitatem. His igitur, dum Judex secularis in hoc punto haeret, imperandum est judicium, post quod ille caetera explicat. (c) Verum istud non exspectandum esse merito tunc statuimus, quando quis, qui se catholicum dicit, dogma protrudit reipublicae ipsi noxia, aut doctrinam quamcumque suam tumultibus & seditionibus comitatur. Tunc enimvero, praeterito

terito de disformitate doctrinae ab articulis fidei catholicae iudicio, recte decernitur contra seditionem & quietis publicae turbatorem a cuiusvis religionis Judice politico.

(a) Quod; vero effectum hujus questionis a Theologis resolutae attinet, ea tam  
tum horum aestimationis est efficacia, ut jam judicem reddat parem, rei,  
assumto isto theologorum placo, ex propria sententia aestimandae. Nulli etiam  
profecto dubio subjacet, quin emissum ab artis peritis placitum, si aut im-  
peritum aut ex affectu injusto minus idoneum visum fuerit, vitisque labore,  
oculo, ut ita dicam, etiam non theologico visibilibus rejici, atque peritio-  
rum ac sinceriorum iudicium expeti possit. Econtra ad decidendam causam  
transmittenda esse acta ad facultatem theologicam statuit HANKERUS eit.  
Diff. de Jure circa sacra &c. §. 52. p. 134. Sed potius num consultativum  
num decisivum responsum exposcere velit, officio judicis est relinquendum,  
utpote qui in re de se jam satis aperta utramque recte negligit.

(b) Uti facta fuisse constat in celebri causa *Bahrdtiana*. Bina Facultatum theo-  
logiarum Wirzburg. & Goettingens. Responsa exhibet impressum sub titulo:  
*Theologische Gutachten der Fakultäten zu Göttingen und Würzburg*  
über die Bahrdtische Übersetzung des II. T. Göttingen 1779. — Sed quid,  
si non in vanum apud omnes etiam protestantes meruendus esset aur per-  
sonae favor, aut quod pejus esset, causae? Omnis judici opera danda est, ut  
inveniat impartialis; & quantumunque clamoris aliqui, qui se orthodoxos  
dicant, de heterodoxia omnes possim insufficienre circumferant, certe in eo res  
stata non sunt, ut neminem invenire licet non in neotericas doctrinas vere  
tales aperte satis pronum. Concipi casum posse, ubi saluti reipublicae post  
habere partis inquisitoriae suspiciones, & testimonium ab eo praestolari necesse  
sit, a quo magis ingenuum expectari potest, de cetero non negaverim: Sed  
forte majorem, quam par est, sollicitudinem animo complexus est ICKSTAD-  
TIUS noster I. c. §. 29. in f.

(c) Conf. FLEURY Inst. Jur. Ecol. P. 3. c. 8. §. 1. De quo etiam nunquam  
dubitatum est protestantibus. Vid. e. g. Moser Abb. IV. §. 1. p. 141  
seq. & von der deutschen Religionsverfass. p. 192.

## §. XV.

## §. XV.

*Universae vero Ecclesiae judicio non est opus.*

Inter hanc causam & aliquam controversiae fidei compositionem  
I gravis est disparitas: nam ubi de quadam doctrina intercedit  
contentio, quae per accuratum Ecclesiae dogma nondum est con-  
fecta, sed cuius decisio ex ipso adhuc fonte, sacra Scriptura scili-  
cket, & quae secundum diversae religionis principia adhuc praeter  
hanc admittuntur, petenda est, res ad potestatem appellat inter-  
pretativam seu legislatoriam. At ubi doctrina quaedam cum sym-  
bolo, cum articulis jam definitis collata, sufficiente cum certitu-  
dine statui potest, num illa his respondeat, num ab iis recedat;  
istud tantum judiciae potestatis est negotium. Ex quo sponte  
fluit, quodsi in posteriori versemur casu, universae Ecclesiae ju-  
dicium, per ipsa symbola jam generaliter expressum, in sola hu-  
jus ad factum singulare facili applicatione prorsus non sit necessa-  
rium. Quod tamen plurimis videtur ex scriptoribus retro allega-  
tis (a). Inde igitur, qui suam de re in Ecclesia non definita edi-  
cit sententiam, quam tamen judicio Ecclesiae submittit, paratus  
eam dimittere, si aliter statuerit, nec theologice haereticus cen-  
setur, & multo minus politice. Adeoque qui, priusquam Eccle-  
sia de doctrina cuiusdam judicaverit, atque hujus causa aliquem  
e suo gremio ejecerit; aut priusquam quis sponte se ab Ecclesia  
separaverit, coram seculari Judice respectu civilis tolerantiae fe-  
ctarios negatae, in jus vocari nondum posse docent, eatenus tan-  
tum verum dicunt. Sin autem intelligi velint, quod haud obscure  
declarant, de qualicunque casu, ubi res etiam jam est satis eccl-  
esiastico symbolo definita, ut ita, qui contrarium docet, & ab Ec-  
cle-

clesia jam pro excluso habendus sit, & se sciens etiam ab eadem  
sponte sejungat, nimium certe poscunt. Cum vero Ecclesia pro-  
testantica hoc, quod jam ei vult adscribi jure, aliquem diversae  
a symbolis doctrinae causa arcendi, nunquam usâ esse legatur, &  
possit etiam, uniformitate externorum rituum contenta, quoad  
privata alicujus dogmata publice etiam significata indulgentior es-  
se, ac rationes publicae expostulant; irrita esset Legum nostrarum  
providentia, si ejusmodi decretum foret patienter exspectan-  
dum (*b*). Habet demum illa inter protestantes ad Ecclesiam su-  
am provocatio, etiamsi non de hoc solo casu, sed etiam de con-  
dendo novo articulo fidei, & re nondum definita nunc definienda  
intelligatur, non mediocrem difficultatem (*c*). Nam istam Ec-  
clesiam ubi demum inveniemus? Eandem, quatenus ad fidei dog-  
mata constituenda spectat, apud eos non solum clerum confidere,  
sed pari jure omnes etiam ceteros fideles censeri in aprico est: sed  
quamvis ipsis etiam, more nostro, Ecclesiam in universalem (quae  
omnes omnium gentium fideles A. C. addicatos complectatur) na-  
tionalem (unius gentis) & provincialem (seu unius territorii) di-  
videre solenne sit: (*d*) inter singulas tamen nexus, non dico hier-  
archicus seu subordinationis, sed qualiscunque socialis prorsus  
videtur exulare, ita, ut, quamvis singulae eandem fidem rece-  
perint ac teneant, si tamen de dogmate noviter constituendo aga-  
tur, res non conficiatur, prout in societatibus per majora, sed  
per singularum liberum accessum, quod manifeste est contra na-  
turam societatis, cum sic res singulorum tractare soleant vinculi  
socialis expertes (*e*). Accedit in qualibet Ecclesia illa conclusi ob-  
tinendi difficultas, & tantum non impossibilitas, cum iterum,  
quod fidem attinet, in ea nexus socialis, quamvis illum quoad



externos ritus communiter celebrandos colant, plane absit, sed uniuscujusque liber consensus conjunctim cum omnibus reliquis summis unam faciat fidem, non vora majora; eodem ferme modo, sicut plurium Philosophorum de lege quādam physica conspiratio facit communem horum Philosophorum doctrinam. Nihil igitur moto aliquo dubio ingredetur aliud, nisi Dominorum territorialium supra jam adducta (§. IV.) doctrinae certae publica approbatio, eatenus interposita, ut haec tantum publice doceatur, ita ut, si omnes Status protestantes, accendentibus catholicis ratione subditorum suorum A. C. addicitorum, eandem admittant sententiam (quod forte facilius jam obtineri posse creditur, existente aliunde jurium huic Statuum parti peculiarium calendorum causa quadam inter illos conjunctione, quam Corpus vocant Evangeliorum) illud eatenus pro communi protestantica doctrina in Germania haberi debeat (f), observanda, si ea insequantur, quae §. VIII. monuimus. Qualem tamen decisionem, si casus revera exquireretur, forte etiam non tam facile exspectaveris. (g)

(a) Potissimum auctori von der Gerichtsbarkeit der Reichsgerichte §. 17. & 20.

(b) Quam sollicitudinem innuit Imperator anno 1566. in comitiis apud LEHMANNUM aetis de P. R. L. III. c. 6. §. Sollten nun pag. 329.

(c) Quae inter catholicos nulla est: nam licet Concilia generalia haberi forte rarius exspectandum sit; sacra tamen Sedes suam proponit de certa doctrina sententiam, que deinde si consensu tacito omnium Ecclesiarum particularium probetur, confessa res est.

(d) LEYSER Spec. 566 Med. 10. seq. G. L. BOEHMER Prince. jur. can. §. 45. 163. seq. HANKER loc. all. §. 50. GEISLER cit. Programmat. pag. §§3.

(e)

(e) Pone, ut tantum de ritibus, quod multo minus est, exemplum afferamus, rem Calendarii conficiendi, quae labente priori seculo inter protestantes accedit, sane omnium protestantium in Germania confessiones illud Anglis, Suecis, Danis, Belgis & Helvetis non poterant de se acceptabile facere, nisi sponte acceperint, sicut etiam illud de paschate cum Catholicis celebrando decretum de 13. Dec. anni 1775. in Fabers neuer Staatskanzley Tom. 44. p. 393.

(f) Clariss. SCHOTT in der unpartheyischen Critik §. B. p. 442. & cum eo MOSERUS Religionsverfass. I. B. §. Cap. §. 5. p. 107.

(g) Conferatur adhuc auctor scripti, quod communiter MOSERO attribuunt: Unpartheyisches Gutachten wegen der jetzigen Religionsbewegungen, besonders in der Evangelischen Kirche, wie auch über das Bayserl. Commissions-Decret. in der Bahrdtischen Sache 1780. ubi ad quaest. 6. Indessen behauptet man — daß so lange eine Kirche ein Stid, so sich wenigstens äußerlich zu derselben bekennit, nicht von ihr ausstoße, die weltliche Wirkungen obiger Reichsgesäze nicht eintreten können: — Daz ein solcher Schluff in Ansehung solcher Neulinge von den gesammten Evangelischen Ständen gefaßt werden, ist nach den bekannten Umständen vieler großen Evangel. Höfe nicht zu vermuthen. Da aber die Evangel. Kirchen auch in Deutschland voneinander vollkommen unabhängig sind, und ein Evangel. Reichsstand, so sich dergleichen Neuerungen widersetzt, den Buchstaben der Reichsgesäze, die Sprüche der höchsten Reichsgerichte, und den Beytritt des gesammten catholischen Reichtheils für sich hat; so sieht einem Evangel. Reichsstand nichts im Weg, wenn er gegen diese bedenkliche Neuerungen die unten folgende Maßregeln ergreift.

### §. XVI.

*Casus ad istam jurisdictionem pertinentes & cautelae.  
Modus & finis judiciorum.*

Supereft, ut adhuc de causis ad istam jurisdictionem spectanti-  
bus & ordine atque exitu horum judiciorum dicamus. Cum

G 2

hanc



hanc jurisdictionem exerceri monuerimus, quatenus reipublicae  
 interest, cumque leges Imperii hic spectandae sint, non aliae;  
 facile concluditur, indulgentiorem hic posse esse judicem politi-  
 cum, ac forte esset inquisitor ecclesiasticus, ac ipse etiam politicus  
 judex, quatenus non reipublicae tantum, sed & Ecclesiae subve-  
 niret. Separatae igitur a communibus opiniones in adiaphoris ac  
 consensu Ecclesiae nondum definitis prorsus sunt innocuae, tanto  
 magis, cum a judicio etiam ecclesiastico non reprehendantur (*a*).  
 Deinde imbecilibus rudibusque ingeniosis, qui rem ipsam tenere,  
 quam periculose de ea disputare malunt, aut quibus ex impruden-  
 tia, aut cum non sint sat eruditii, elabuntur non satis cohaeren-  
 tia, ne laquei tendantur. Dubitantem porro, sed qui meliorem  
 informationem bona fide non recusat, haec tenus adhuc ferri aequum  
 est (*b*), sed caute, ne quis scilicet hypocritam agere cogatur, ne-  
 que, dum nulli scrupulo relinquunt locus, ipsi Ecclesiae via oc-  
 cludatur doctrinae suae perfectius adhuc stabilienda, detrimento  
 in ipsam religionem redundaturo; ne tamen etiam affectatae du-  
 bitationi, ad obregendum tantum pertinacem dissensum adhibitae,  
 atque pessimo artificio indulgeatur. Porro quamvis eum, qui  
 dogma quoddam ipsum aperte non negat, probationes tamen  
 haec tenus usitatas omnes subvertit, quin alias constantes substituat,  
 ab heresi non abesse certum sit: in eandem tamen classem vix  
 collocandus erit, qui in uno, quo haec tenus usi fuimus, argumen-  
 to haesitar, caeteris non refragatur, improbo animo nuspiciam ap-  
 parente. Sed quid, si aliqua & porissima concuriat argumenta,  
 de ceteris plane filear? Neque hic fraudibus esse patrocinan-  
 dum, & certe, si pro instituti ratione de ceteris facile fileri non  
 debuerit, declarationem apertiorum esse injungendam nemo ae-

quus

quis ibit inficias. Demum nulla facile hic occurrit quaestio deli-  
cator, quam illa, quando quis A. C. addictus de cetero omnibus  
suae Ecclesiae dogmatibus fidelis unum vel alterum tantum dese-  
reret, sed tamen ita, ut per hoc ipsum alteri religioni pariter in  
Imperio permissee accederet? (e) — De modo procedendi, seu  
cuinam probatio incumbat religionis symbolo vel conformis, vel  
ab eo diversae, quando ad se exonerandum suspicionibus genera-  
lis professio sufficiat, & quando specialis etiam injungenda, &  
quomodo peragenda sit, de his omnibus sufficiat ad GONNIUM  
ablegasse, qui istud argumentum ex instituto tractavit (d). —  
Jam quis horum judiciorum est exitus? de judge politico loquor,  
qui tantum, quae rationes publicae expostrulant, sponte agit, non  
de ecclesiastico, nec etiam de politico, quatenus se praebet juris-  
dictionis ecclesiasticae administum. Et sic non tolerandos esse  
statuunt leges nostrae (e): Itaque non tolerantur, sed e finibus  
reipublicae proscribantur, quando scilicet placidiora reconciliatio-  
nis remedia non amplius proficiunt, quae scilicet, si ulla in re, in  
hac certe, ubi non tam de crimine, quam de errore intellectus  
agitur, primum adhiberi fas est. Quodsi tamen tumultuosos pa-  
riter se exhibuerunt reipublicae turbatores, eos premit legum  
contra Anabaptistas constitutarum analogia, aut potius leges ge-  
neratim in delicta contra rempublicam immediate admissa constitu-  
tae. Quando denique de doctrinae in essentialibus immutatione  
non quidem parum, attamen non prorsus liquido constat, ea  
saltem, quae periculo promovendo propria sunt, provisorie re-  
moveri posse, facile quoque ex antedictis colligitur, cuiusmodi  
sunt a munere ecclesiastico suspensio, & ut quis a docendo ac scri-  
bendo de materia religionis interim sibi tempereret, interdictum,



cum sic, ne doctrina suspecta latius disseminetur, caveri queat. Ceterum provide ubique incidi in re tam lubrica oportere, ne in ipsam religionem scandalum redundet, aut atronita haereant plebis ingenia, neque medicina fiat ipso malo, quod vult sanari, perniciosior, res ipsa, ut nos monere non debeamus, satis commendat.

(a) Vid. ICKSTADT. l. c. cap. 2. §. 22. Dubium movetur, si, quod in ipsa A. C. definitum non est, Dominus territorialis pro suo tantum territorio definiat, sit tamen aliquis in territorio, qui huic dogmati non consentit? A muneribus Doctoris ecclesiastici arceri, aut si in talibus sit constitutus, injungi ipsi posse, ut ad territorii leges doctrinam suam accomoderet, facile pater; sed num tolerantia eapropter alicui neganda? Affirmare videtur G O N N E §. 41. sed rectius non ejici posse docet ICKSTADT l. c. cum subditis ex lege Imperii sit jus quaesitum, quod, si eam doctrinam saltem teneant, quatenus universaliter in Imperio recepta est, pro sectarii haberi non debent. Conferatur Mandatum Camerale S. C. in causa Laur. Seboldi contra Camerarios Senatumque Augustanum 1694. apud BOEHMER Jur. Ecc. Pr. L. I. T. I. §. 61, ubi: Wenn aber die declaraciones, extensiones und Ordnungen, so die Obrigkeiten oder Ministeria darüber machen, noch lange nicht von der Verbindlichkeit erklärt seyn, daß, wer sich zu denselben über den Buchstaben der A. C. nicht bekennen wollte, von daher aller Beneficien und Gütthaben des Relig. Friedens unsfähig werden müßte: — Niemt so gebieten Wir euch — daß ihr — alle Uebertretungen des Reichs- Religionsfriedens — worinn der A. C. und denen, die sich in dem buchstäblichen Verstand derselben bekennen, die Toleranzfreiheit rc. verliehen worden, — cassiert, rc.

(b) Aequissima est sententia AUGUSTINI can. 29. cauf. 24. Q. 3. addat. RIEGGER Inst. jurisprud. eccles. P. IV. §. 292. seu porius a §. 290. usque ad §. 330. pag. 192. seq.

(c) Tolerari posse affirmat, argumento a tolerata utraque religione integra ad utriusque singula capita deducto ZECHIUS Med. de J. R. P. II. §. 71. not. 31, p. 328. Negat de BUCKLICH Observ. ad Instr. Pacis art. VII. obs.

I§.



15. p. 612 seq. quod unaquaeque Ecclesia non possit non illum habere pro haeretico, qui non omnibus ejus singulisque doctrinis adstipularetur. Accedit HANKERUS de Jure C. S. §. 50. not. a. motus hac ratione, quia alias pluralitas cultuum non eviteri posset. Posteriorum sententia primo intuitu magis videatur propinquus vero: nam certe BUCKISCHII ratio rem facile conficit, si theologicè expendatur: nec argumentum, quo HANKERUS unitar, in questione etiam statui nostro publico applicata pa- rum momenti habet: Attamen, cum tam ardenter voris expedita legatus in actis & legibus Imperii publicis religionum discrepantium compositio, illaque, si experientiam consulimus, a singulis prius exspectanda sit quam ab universis, & iterum per gradus potius ac subito in omnibus articulis nescio num valde iniquum se praebere licet iis, qui rei tam desideratæ quodammodo videntur praecurrere, quicque suo in aliquibus saltem punctis accessu spem futuræ aliquando unanimis concordiae needum abjectam noviter alunt, maxime cum isto facto nova & quarta religio non facile sit metuenda. Sed in hac re rationes conferre quam definire malum.

(d) Diff. de prob. rel. §. 22 - 24. 26 - 49. sive usque in finem.

(e) Vid. §. V. Leges alias in Codice Justinianeo existentes, quibus Imperatores non tam, quod rationes reip. flagitabant, constituere, sed se in Ecclesiam ostendere voluerunt zelos, dum in rejectis ab Ecclesia omnem etiam politicum rigorem effundere decreverunt, hic recensere non vacat. Memorabile est articulum 130. de haereticis ab Ecclesia declaratis & ab hac, seculari potestati extraditis, rogo mandandis, in constitutione criminali Bambergensi, quae tamen mater est, comprehensum, non fluxisse in Carolinam nostram communem. Cujus rei ratio quodammodo intelligitur expenso hujus publicatae anno, scilicet 1532. ubi suspensæ protestantium res non patiebantur sine limitatione, istum articulum religione olim unica tanrum in Imperio vi gente anno 1508. conceptum in Carolinam transcribi. Attamen cum eadem aeratae leges nostræ in Anabaptistas se exhibeant satis rigidas, de ceteris autem sectis postmodum prohibitis nihil disponant, quam quod tolerandæ non sint, utique appareat, moderatiora consilia nunc assumta & poenas in sensu proprio he dictas non in quamvis alienam a rationibus Imperii doctrinam, sed in hos tantum, qui tam multib[us] in rem publicam insurgunt, esse reliquas,

de





de quibus solis etiam aliqui leges criminales in corpore Juris civil, contra  
haereticos scriptas explicare, forte non in vanum, satagunt.

### §. XVII.

#### *Jurisdictio Caesarea in eodem causarum genere.*

**I**sta omnia sicut in genere prolata sunt, ita etiam in specie & prin-  
cipaliter ad Domines territoriales spectant. Verum haec sibi  
locum adhuc postulat quaestio, quomodo supremorum Imp. tri-  
bunalium jurisdictio in his causis fundata sit. Res vel Status Imperii  
attinet, ceterave immediata Imperii membra, vel mediatis.  
De Statibus quaeri non potest, sive ipsi prohibitas in Imperio se-  
tas sequi incusentur, sive hospitium ipsis praebere & tolerantiam  
(a). Pulsatos nempe processibus coram tribunalibus Imp. insti-  
tutis religionis causa ipsis Status, antequam bina novae religiones  
in consortium jurium Imperii admitterentur, Leges (b) comme-  
morant & gesta referunt; neque etiam desunt ex illa altera causa  
decretorum a supremis Imp. Dicasteriis exempla (c). Sed de me-  
diatis posset intercedere dubitatio (d), quae tamen evanescit, ubi  
Fisci Imperii contra eos agendi jus est, qui scilicet nullibi nisi  
coram ipsis Imperii tribunalibus actiones suas instituit (e); cum  
ipsum repraesenter Imperatorem, qui subditos suos non coram  
alieno sed proprio judicio convenit. Est autem Fisci Imperii agendi  
jus, ubi, quod universi Imperii graviter & immediate interest,  
violatur. Quod utique contingit, cum in aliquo territorio secta-  
rum Legibus Imp. prohibitarum autores aut patroni retinentur  
aut foventur, praesertim si doctrinae ejusmodi per libros in pu-  
blicum sparguntur. Quapropter Fisci Caesareo una cum com-  
missione Cæsarea libraria, quae singulis nundinis Francofurtensi-  
bus

bus interest, & cujus ipse est membrum, in libros prohibitos inspectio injungitur. Nunc autem re per Commissionem librariam ad judicia Imperii delata non tantum in libros, sed potissimum in librorum auctores, typographos, bibliopolas, atque omnes complices animadvertisit, id quod in celebri illo de injuriosis aut religioni adversantibus libris *Edicto CAROLI VI.* de 18. Jul. 1715. (f) disponitur, verbis: Da aber gleichwohlen — dergleichen Laster- oder andere gegen die Reichsgrundgesetze in Glaubens- und Staats-sachen laufende Lehren, Schmähchriften &c. gedruckt und ausgegeben würden, solche alsofort ohne einige Nachsicht durch jedes Orts Obrigkeit oder unsere Bücher-Commissarios confiscairt, der Urheber, Schrei-ber und Buchdrucker aber sowohl als alle diejenige, so sie zum Verkauf herumtragen und ausbreiten, oder sich dazu gebrauchen lassen, an Gut und Vermögen, auch nach Beschaffenheit der Sachen und der Umstände an Ehr, Leib, Gut und Blut ohnnachläßig gestraft werden sollen. — — Allermassen Wir unsren Reichsfiscalen sowohl bey unserm Kays. Hofrath als Kays. Cammergericht hierdurch ernstlich wollen erinnert haben, daß sie gegen alle die oberwehnte Ueber-fahrer dieser unserer Kayserl. Verordnung, sie seyn geistlich oder weltlich, ohne Ansehung der Person auf gehörende Straf unverzüglich anrufen und ihres Orts und Amts nach aller Strenge verfahren und han-deln sollen. Ex quo edicto apparet, in eadem re & Imperatorem & Dominos territoriales concurrentem exercere potestatem. Huic unicam adhuc de *Politia Ordinationem* de 1577. Tit. 35. §. 3. & 4. ap-ponere juvat, ubi de munere a Domino territoriali omisso ab Imperatore supplendo, tanquam altero jurisdictionis Caesareae casu, sancitum est: Daz alle und jede Obrigkeit ernstlich Einschn thun und



verschaffen sollen, — daß nichts, so der christlich. allgemeinen Lehr  
 ungemäß und widerwärtig — geschrieben, in Druck gebracht w. wer-  
 de. — Wo aber einige Obrigkeit, wer die wäre, oder wie sie Na-  
 men haben mögt, in Erfundigung solcher Ding, oder so es ihr ange-  
 zeigt, darinn fahrlässig handeln und nicht strafen würde, alsdenn wollen  
 Wir entweder selbst wider dieselbige auch den Dichter, Drucker  
 oder die Buchführer, Händler und Verkäufer ernstlich Straf für-  
 nehmen lassen, oder aber soll unser Kayserl. Fiscal Amts wegen dagegen  
 auf gebührliche Straf procediren und handeln, welche Straf nach Ge-  
 legenheit und Gestalt der Sachen unser Kayserl. Cammergericht  
 zu segen und zu moderiren Macht und Befehl haben soll. Add. Ord.  
 Pol. 1548. T. 34. §. 3. Quod hic de libris impressis proponitur, fa-  
 cile etiam ex analogia rationis ad alios sectae prohibitae propagan-  
 dae modos, immo ad solam etiam sectariorum in quodam territo-  
 río tranquillam tolerantiam pro toto Imperio suspicione & pree-  
 judicio plenissimam referendum est, & sic pariter jurisdictio Cae-  
 saris immediata aut concurrens aut suppletiva in casu superioris  
 immediati aut incurii eorum, quae aguntur, aut complicis, fun-  
 data erit. Quin ubi res a Domino territoriali non est neglecta, Im-  
 peratorem etiam ex officio seu ad Commissionis librariae vel Fisca-  
 lis denuntiationem in librum quendam in territorio jam prohibi-  
 tum insuper pro universo pariter Imperio, quae oportet decerne-  
 re, sectariumque, qui talia promeruit, e territorio ejectum e fi-  
 nibus adhuc Imperii proscribere posse tam certum est, quam quod  
 certissimum, cum hic non unici territorii commoda, cunctante  
 forte Domino territoriali a Caesare supplenda, sed totius Imperii  
 rationes legesque acriter hanc curam Imperatoris sibi expostulent,  
 licet tunc typographus & reliqui, qui poenas Domino territoriali  
jam

jam dederunt, nihil amplius iuant (g). Denique rem ejusmodi per provocationem ad tribunalia Imperii deferri posse non minus clarum est (h). Hanc igitur Caesaris potestatem, quam etiam in actum deductam esse exempla ostendunt (i), si ad custodiam LL. Imp. aut potestatem Caesaris inspectoriam cum Mosero & Bierenero (k), aut Pacis Westph. executoriam referre velis cum Hannero (l), per nos licet, quamvis iste etiam & rectius hoc judicandi genus ex jure reformandi Caesari competente derivandam censuerit.

- (a) Exemplum illustre suppeditant acta in comitiis 1566. cum Palatino: quam causam tractavit Caesar cum consilio Statuum, weil J. R. M. bevorstanden, also in der stattlichen Anzahl, Chur- und Fürsten, als J. M. und des H. R. geliebten Mitgliedern vertretlich, wie in einer hochwichtigen Sachen wohl zu handeln, LEHMANN *acta de P. R. L. III. c. 8. p. 332.* ut ita Caesar praeoccupaverit, quod postea ipsi in I. P. O. art. 5. §. 54. in f. commendatum est.
- (b) Videantur tantum processuum ejusmodi imprimis suspensorum deinde ab iutorum exempla in Pace scilicet Norimb. 1532. art. 1. Rec. Imp. 1541. §. 94. seq. Trans. Pass. §. 9. II. 12. Pac. Rel. §. 19. 32.
- (c) Quorum recensentur aliqua apud RODINGIUM Pand. Cam. LI. T. VIII. §. 18. DECKHERRUM Vind. ad Blum. Tit. 30. n. 35. Consult. Form. L. I. c. 56. n. 7. LUDOLPHUM Syst. Jur. Cam. append. 8. num. 81. Mozer Abb. III. §. 17.
- (d) Injecta nuper ex instituto occasione cause Bahrdtianae ab auctore scripti saepius allegati von der Gerichtsbarkeit der H. Reichsgerichte ic. qui tamen per conclusum consilii imp. aul. exclusum fuisse Bahrdtium a coetu ecclesiae, immo retractionem sententiae ipsi injunctam §. 17. 20. 21. nescio unde somniari, atque inanes desuper tragedias excitat. Praeter haec maxime mireris, quod, et si auctor §. 19. p. 29. expressis verbis statuerit: Die Reichs-Kirchenpolicey, ut ille appellat, bestraft Sachen, welche von der Landeskirchenpolicey ungeahndet bleibent, und solche, die einen offenbarten schädlichen Ein-



fluss auf das ganze deutsche Kirchenwesen haben würden; nihilominus haud fundatam esse jurisdictionem Caesaream afferat contra mediatum §. 26. 32. nisi ad instantiam subditorum, qui bono territorii adversum esse demonstrarent, quod Dominus territor. in toleranda quadam Doctrina in Imperio reprobata admisit; & quamvis tunc etiam contra Dominum territorialem ob abusum juris reformandi territorialis decerni possa a judiciis Imperii concedat, nihilominus subditum hactenus male ab ipso toleratum a scribendo atque docendo de religione prohiberi non posse statuat, sine communicatis cum ipso hoc domino territoriali consiliis. p. 39.

(e) C. O. C. Part. II. Tit. 21. rubr. pr. & §. 8.!

(f) In *Electis Juris publ. Tom. VIII.* p. 81. seq. & FABRI *Staatscanzley T. XVI.* pag. 728. seq.

(g) Confer. DECKHERR *Conf. for. L. I.* cap. 54. num. 2.

(h) Vid. easum supra §. XVI. nota relatum & famigeratam illam causam *Helmundicam a MOSERO* Abh. IV. §. 12. p. 172. seq. compendiose recentiam, ubi Judicium Camerale in contradictorio jurisdictionem sibi afferuit & per-  
vicit.

(i) Vid. alleg. DECKHERR l. c. cap. 56. n. 7. ubi: „ Illusterrimus Camerae „ senatus decretis adversus sectarios locique in quo vivebant superiores, cita- „ tionē ad videndum se incidisse & condemnari in poenam privationis & „ resp. banni una cum mandato poenali de non contraveniendo Legibus & „ Constitutionibus Imp. Sectarios non hospitando sed exterminando & rele- „ gando S. C. sub poena 30. marc. aur. Joannem Labadie, Perr. Iovinem, „ Perr. Dulignonum, Henr. & Perr. a Schlüteros cum adhaerentibus aliis „ German. Imp. finibus ejecit 31. Octob. 1671. „ Confer. etiam, quae contra SCHMIDUM ob perversam Bibliarum versionem Werthemii impref-  
sam a Caesare anno 1737. decreta sunt, & narrantur a MOSERO Staats- recht III. Th. II. B. 19. Cap. §. 30. p. 238. seq & quae contra BAHRTI- U M novissime pronuntiata 27. Mart. 1779. quod conclusum exstat penes auctorem scripti von der Gerichtsbarkeit zc. in fronte & Relatorem der neuesten Religionsbegebenheiten 1779. p. 821. Ut jam de exemplis scrip-  
ta religioni tantum injuriosa concernentibus nihil afferam.

(k)

(k) Moses's Staatsrecht III. Th. II. B. 19. Cap. §. 29. & Tr. von Kayserl. Regierungsrechten und Pflichten I. Th. 14. Cap. §. 17. p. 265. Bienners Bestimmung der Kayserl. Machtvollkommenheit Leipzig 1780. II. Th. §. 69. p. 49. qui sic ait: Jene ist ein Theil der allgemeinen Kayserl. Pflicht und Oberansicht welche sich über das ganze Reich, folglich auch über Religionsfachen erstreckt, um den Kaiser verbinde, davor zu sorgen, daß die Ruhe und Glückseligkeit Deutschlands, auch die Religionsverfassung des Reichs durch die Handlungen einzelner Reichsbürger und Untertanen nicht leide, folglich wedeg durch Predigten, Schriften, Erklärungen der Bibel oder auf andere Weise angegriffen und untergraben werde. Hier ist also der Kaiser pflichtmäsig verbunden dergleichen Handlungen einzelner Reichsunterthanen zu ahnden.

(l) Qui ait: Imperator ad *jus reformati* totius Imperii in corpore concurrit. & certo modo etiam vi *advocaciae* & *poteſtatis* *executoriae* P. W. per totam Germaniam illud exerceat, quatenus nempe curat — ut novae sectae in Germania exorras aut in eam se ingerenti exercitium religionis per S. R. I. de- negetur. §. 46. not. a.

### §. XVIII.

#### *Cura Caesaris & Comitorum circa tutamen Legum de doctrina fidei disponentium.*

Imperatori non tantum secundum Leges Imperii jurisdictio, sed & per universum Imperium inspectio merito attribuitur atque exsecutio, ut sua legibus maneat vis & auctoritas. Ea tamen remedia, quae communiter in manu Caesaris sunt ad cavendam Legum infractionem apud singulos, constituunt processus fiscales, apud universos edicta atque comminationes in Imperio publicanda. Quando autem prius remedium nimis lentum, alterum parum efficax futurum esse deprehenditur, resque ad tantam ascendet corruptionem, ut hisce malum nequaquam sanari possit, extirandum tunc est & commovendum a Caesare Imperium, ut singuli



Status in Comitiis conjuncta manu honorem legum sustineant, atque de rationibus, quae felicissime illud efficiatur, consilia conferant, quae deinde sub auspiciis Caesareis ab unoquoque Statu & forte etiam Circulo in suis terris in exercitium deducenda sunt, atque de eorum successu iterum comitialiter conferendum, sicutque totum negotium expediendum (*a*). Cum igitur, quod cordati res protestantium nobis non dissimulant, (*b*) religioni inter ipsos haud levis momenti impendeant vicissitudines, in quibus accelerandis quamplurimorum manus reperiantur laboriosae; atque in iis non tantum de emendanda hinc inde protestantica religione, sed de communibus ac unicuique in Germania religioni haec tenus sacrosanctis principiis ferme omnibus penitus evertendis agatur; res ab isto punto non longe abesse videntur, ut hanc sibi medicinam postulent (*b*). Et postquam adeo inter ipsorum Doctores aliquis Consilii Imperialis aulici decreto admonitus, novum, quod animo conceperat variisque antea scriptis, obscurius tamen, propugnaverat, religionis systema a communibus in Germania receptis de religione principiis longissime recedens in lucem, & quidem ira ediderit, ut milenos atque iterum milenos eidem pariter stipulari, eandemque reformationem anhelare magna cum fiducia asseveraret, res nunc Commissionis Caesareae, quae Conventui Imperii praeescit, decreto in fine anni praeteriti actu fuit exposita, (*c*) & comitiale placitum expetitum; cui vero, fore ut propediem conficiatur, si versatissimorum in negotiis publicis vaticinio creditur (*d*), equidem spe admodum erecta vix est antecedendum. De cetero tamen si conficiendum sit, quominus per majora adorari possit, nulli subest dubitationi; cum non de universorum

pro.

protestantium dogmate novo constituendo, neque prorsus de ipsa religione Imperii legibus roborata, sed de quibusdam; quorum doctrina a ceterorum, protestantium pariter ac catholicorum, religione discedit, atque in novam abit religionem, coercendis agatur: nam in Statuum tantum protestantium cunctorum gratiam & petita & concessa fuit illa a pluralitate suffragiorum exceptio, quae causas religionis ad amicabilem compositionem remittit, quae igitur alias religiones non concernit.

- (a) Olim re eadem ab Imperatore comitiis proposita anno 1566. visum fuit Statibus protestantibus, visitationem ab unoquoque in suo territorio diligenter institutam remedium esse aptissimum: daß solches ein nützlicher und fürträglicher Weg sey, dadurch man solche Secten an Orten, wo sie eingerissen, abschaffen mag, nemlich daß ein jeder Staud mit christlicher Visitation und ernstlichem Aufsehen sein Fürstenthum, Landschaft und Herrschaft rein halte. LEHMANN acta Pac. Rel. L. II. cap. 4. p. 101.
- (b) Moser Abb. VI. §. 1. p. 205 seq. RELATOR der neuesten Religionse begabenheiten art. von den neuern Reformatoren in beyden protestantischen Kirchen & passim: Auctor des unterth. Gutachtens; erste und siebente Frage; ut PIDERITIUM in scenam non reducamus.
- (c) Vid. Decretum Commissionis Caesareae de dato 6. Decembr. 1779. fol. cui sub juncta est ipsa fidei Babrdtianae professio.
- (d) Moser Tr. von Deutschen Reichstagsgeschäften 4. B. 1. Cap. 8. §. p. 334. AUCTOR des unterth. Gutachtens loco alleg. (§. XV. not. e.) Et ad quaestionem 9. ubi: Nun werden zwar noch manche Evangel. deutsche Höfe und Reichsstände gern das ihrige mit beytragen, daß denen je länger je weiter gehenden Abweichungen von der bisherigen christlichen und Evangelischen Religion und ihrer Lehrart gesteuert werde; und es würde, wenn viele Evangel. Höfe darum dem catholicischen Reichtheil, an dessen Denkungsart nicht zu zweifeln ist, beytraten, die Mehrheit



heit der Stimmen alsdann wohl einen allgemeinen Reichsschluß in der Sache bewirken können: Indessen zweifeln unterh. Subsignirte doch daran, daß, so lang die Sachen in den obberührten Umständen verbleibt, die Evangel. Reichstände zu einem solchen Reichsschluß nichtehlich seyn werden; sondern es ist eher zu vermutthen, daß sie so lange ihren Gesandten keine Instruction ertheilen, und dadurch veranlassen werden, daß das Kaiserl. Commissions-Decret in keinen Vorschlag und Veratbschlagung gestellt werden kann.



X2338862

VD 18

**ULB Halle**  
007 771 789


3





B.I.G.

Farbkarte #13



TATIO INAUGURLIS JURIDICA  
DE  
CE RELIGIONIS  
RMANIA NON TOLERATAE.

AM UNA CUM SUBJUNCTIS  
NIVERSO JURE COROLLARIIS

A U S P I C E

TER OPTIMO MAXIMO  
ANNUENTE INCLYTO SENATU JURIDICO

P R A E S I D E

ILI, CLARISSIMO ET CONSULTISSIMO DOMINO  
OBO JOSEPHO HAUS, J. U. D.

ET CELSISS. S. R. I. PRINCIPIS EPISCOPI BAMBERG. ET WIRCEB.  
ENT. DUCIS CET. CET. CONSILIARIO AULICO, JURIS NATURALIS  
LICI GERMANICI PROFESSORE PUBLICO ET ORDINARIO,

SEQUENDIS SUMMIS IN UTROQUE JURE  
HONORIBUS

P U B L I C E T U E R B I T U R

MORE RIGOROSIS EXAMINIBUS TENTATUS ET APPROBATUS  
RGIIUS ANTONIUS VOLLETH,

RATISBONENSIS,

I M C A N D I D A T U S E M E R I T U S  
AUDITORIO JURISCONSULTORUM

M A R T II A N N O M D C C L X X X I I

*Horis ante & post meridiem consuetis.*

is Francisci Ernestii Nitribitt, Universitatis Typographi.

